# ACADEMIÆ OXONIENSIS PIETAS

ERGA

# SERENISSIMVM ET POTENTISSIMVM IACOBVM ANGLIÆ SCOTIÆ FRANCIÆ

*& Hiberniæ Regem, fidei defensorem, Beatissimæ Elisabethæ nuper Reginæ legitimè & auspicatissimè succedentem.*

* * * *
* *
* *
*




OXONIÆ,
Excudebat Iosephus Barnesius, Almæ
*Academiæ Typographus.* 1603.





# SERENISSIMO POTENTISSImoq; Monarchæ, IACOBO .Angliæ, *Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ Regi, Fidei defensori Domino ac Regi* nostro Clementissimo.



*Ccepimus nuper (Invictissime Rex) edictum publicum omnium fere totius regni procerum manibus consignatum, quo certiores facti sumus, tum Serenissimam* Elisabetham *nuper* Dominam *ac Reginam nostram, omni laude perpetuò celebrandam ex hac vita migrâsse: tum etiam regnorum, quæ ipsa dudum possederat, hæreditatem ad tuam Maiestatem certissimo successionis iure pertinere. Cùm igitur nos confestim (sicut officij nostri ratio postulabat) ad forum publicum istius* Civitatis, *locum percelebrem, & refertum maximâ hominum multitudine ad sonum tubæ congregatâ, frequentes accederemus, edictum hoc publicâ præconis voce promulgaturi; dici profectò non potest, quo ardore & studio tantæ multitudinis, quibus acclamationibus, quantâ omnium, qui aderant, gratulantium, & gratias* DEO *agentium vociferatione exciperemur, dum hoc munus & officium debitâ fide & alacritate perageremus. Nam vt nemo aderat, qui non Divinam erga nos clementiam libenter agnosceret, cuius singulari benignitate tot annorum pace alijsq; bonis innumerabilibus, Elisabethâ regnante fruebamur: ita cùm (Eâ fato fūctâ) te talem & virum &*

*Principem nobis divinitùs oblatum videremus, cui horum Regnorum gubernacula tradenda essent, idq; sine tumultu, sine aliquo vèl minimo motu aut strepitu, summâ omnium Ordinum totius Regni consensione atq; conspiratione fieri perspiceremus: nullo modo posse videbamur, quemadmodum animis & cogitatione affecti essemus, aliquâ satis dignâ significatione demonstrare. Atq; alij quidem intimis sensibus conceptam lætitiam voce, & vultu, & oculis ad Cœlum erectis, & crebrâ acclamatione (*Vivat Rex Iacobus*) indicabant: Academiæ verò tuæ Oxoniensis Alumni quibusdam carminibus atq; poëmatibus derepentè conditis suam gratulationem & intimos animorũ motus exprimere sunt conati. Cùm igitur Academia hoc tempore non haberet, quo suam erga Maiestatem tuam, voluntatem plenissimam pietatis, & observantiæ, vberiùs declararet, hæc ad tuam Celsitudinem poëmata danda curavit: non quòd aut expectare posset, aut postulare vellet, aut tibi vacare putaret, ista perlegere; sed quia valde cupiebat aliquo munusculo licèt exili significare, & omnibus publicè testatum relinquere, quantùm gestiret Maiestatem tuam alloqui, tibiq; omnia fausta atq; fœlicia comprecari.* Deus Opt. Max. *tuam Celsitudinẽ Spiritus sui gratiâ semper muniat atq; tueatur, vt vnà cum hac regnorum & imperij accessione, maiore indies* D*ivinæ virtutis & veri honoris cumulo augearis. Valeat Serenissima Maiestas tua.* Oxonij.

Maiestatis tuæ humilimi atq;
obseruantissimi alumni.

*Procancellarius & reliquus cœtus studentium in Alma Academiâ Oxon.*

## AD IACOBVM PRIMVM SERENISSImum & invictissimum totius Britanniæ Monarcham Præfatio.

OFferimus Rex Magne Tibi, quæ læta, repentè
Lusit in adventum nostra Thalia tuum.
Accipe, quâ Musas amplecteris, accipe dextrâ,
Donaq; Musarum (si vacat) ista lege.
Inspice: per titulos dignosces pignus amoris,
Omnia nam titulos sunt habitura tuos:
Officiosus amor Regi (dictante libello)
*ALMÆ* narrabit gaudia vera *SCHOLÆ.*
Ordo, ætas, gradus omnis in isto prodit, & omnes
Vnanimi resonant carmine, Cæsar *AVE.*
Vox diversa sonat, vox est tamen vna tuorum,
Vive *PATER PATRIÆ, MAGNE IACOBE, TVÆ.*

### *Prosopopœia Seniorum ad Regem.*

NOS *FVIMVS*, quondam *FVIMVS* (Rex Magne) poetæ,
Et quondam potuit nostra Camæna loqui:
(Quodq; prius potuit, Te principe fecit *ELIZA*,
Innumero de te carmine sæpè canens:)
Sed *FVIMVS* tantùm, nunc non sumus: impedit ætas;
Nobiscum, est senio subdita Musa suo.
Infœcunda tamen non est Academia: natos
Extulit, in nostrum qui subiere locum.
Quòd nequeant de te iuvenilem pangere versum,
Ignoscas senibus (*SVMME IACOBE*) tuis:
Musa senex quod possit, avet præstare, *PRECATVR*,
Nostras (Magne) preces carminis instar habe.

### *Prosopopœia Iuvenum ad Regem.*

NOS *SVMVS* & medijs Iuvenes florescimus annis,
Gestit mens laudes dicere nostra Tuas.
Dicet & illa Tuas (si qua altera Musa) sed illas
Plenè nulla potest, vel Tua Sola potest.

Anne alter vero nobiscum certat amore?
Anne alter de Te dicere plura potest?
Prodeat; & *Nostro* cedet superatus amori,
Nostra Camæna Tuo vult in honore mori:
Ecquis in adversam vates descendet arenam?
Quisquis es, ô (Phœbus sis licet ipse) veni,
Nos cantare *Sumus, sumus* & certare parati,
Præstet vt officium Musa, manusq; suum.
Nemóne in oppositam se vult conferre palæstram?
Nemo hostis qui-cum congrediamur, erit?
Invida carminibus nervosis fata, triumphus
Victori est, victo qui caret hoste, minor.
Te contra si quis vel mussitet, ecce parati
Nos *sumus*, vt pugiles (Magne *Iacobe*) tui.

*Prosopopœia puerorum ad Regem.*

NOS *Erimus* vestri posthæc (Rex magne) poetæ
Quos vix-dum partes edocuere loqui;
NOS *Erimus* vates tua gesta Iacobe canentes,
Nostra Camæna tuum nomen in astra feret:
Interea, audaces, tenui modulante Thalia,
(Edit enim tenues nostra Thalia sonos)
Misimus ingenij specimen signumq; futuri
Carmen; sinceræ primitias fidei.
Audax noster amor nimium fortasse: fatemur,
Carmen qui fecit, carmine peccat amor:
Tu tamen errato veniam da *Maxime* Princeps,
Quodq; admisit amor, deleat alter amor.
Sic olim graviore sono tibi Musa loquetur:
Creverit ingenij cum benè culta seges.

OXonium, sacris sedes celeberrima Musis,
Carmine te donat (Magne Iacobe) suo:
Oxonij nemo est qui non tibi scribit: amorem
Testatur numeris *Vir, Puer*, atq; *Senex*.
Hos inter poterant multi scripsisse volumen,
(Materiæ de Te copia tanta fuit.)

Ipse

Ipse (ignosce precor, si qua est ea culpa) vetabam,
Posset vt alternâ dicere quisq; vice.
Sensi etenim satius, multorum Epigrammata pauca,
Quam perpaucorum grande poema legi.
Adde quòd & pueri nullam voluere repulsam,
(Tantus inest ardor carmine, tantus amor)
Quin prelo mandare velint sua scripta, Tibiq;
Deferri cupiant quos cecinere sonos.
Conclamant puerile, Tibi non vile futurum
Carmen, inest tenui carmine magna fides.
Annui, & admisi multorum scripta, quòd illa
Compta minùs, non sint officiosa minùs:
Ingenium officio superatur in omnibus, omnes
Ingenij non dant signa sed officij.
Non exultat enim bene-compto carmine Musa,
Exultat potius Musa in amore tui.
Sunt mala plura bonis: mediocria plurima: nulla
Aspectum (Princeps) quæ meruere Tuum.
Ignoscas Rex magne tamen, nostroq; labori
(In Musas solita pro bonitate) faue.
Sic longùm vivas Musis & Apolline plenus,
Sic tua Musarum facta per ora volent.

*Ioan. Housonus sacræ Theologiæ Doctor,*
*Vicecancellarius Oxon.*

NON minus afflixit moriens Eliza Britannos,
Quàm grauis Anchisæ sobolem, Lyciasq; cohortes
Gurgitis horrendi rabies, cuneiq; labantes:
Nec magis Iliacas classes Phrygiosq; penates
Nubibus exhilarat Zephyri leuis aura fugatis,
Quàm sonus attonitos reficit resonabilis Anglos.
(Anglica florentem celebrant monumenta Iacobum.)
Nam velut excussis Aquilone furente carinis
Vndiq; naufragium pallentia signa minantur;
Haud secus extinctæ lacrymabile principis omen
Bella, minas, miseris intendit, & arma relictis:
Cumq; ita solliciti, iubar hoc Borealibus oris

Vidimus emissum, populi ferit æthera clamor
(Dicite, Io Pæan) qua iam tenebrosa iacebat
Candida relligio, medio sub sole relucet.
Te patrio roseas diademate cincta capillos
Albionis princeps teneris dilexit ab annis,
Et moritura gemens trepido spiravit hiatu,
Martis alumne vale, capias mea sceptra Iacobe.
Det deus vt vigeat per sæcula multa Iacobus
Primus, et vt nostri videant sua regna nepotes.

*Robertus Houeden Sacræ Theologiæ Doctor, Collegij omnium animarum Custos.*

REgnet vt Anglorum clara de stirpe Iacobus,
Iungat & imperio sceptra Britanna suo;
Sceptra, domosq; diu longo discrimine sectas,
Solus & Oceano littora clausa regat;
Noluit Anglorum notissimus hostis Iberus,
Austriacæ nollet gens inimica domus.
Noluit Hispanus, totius malleus orbis,
Æmulus imperij; tu quoq; Papa, fremis,
At Deus, æterno qui numine sceptra gubernat,
Cuius & imperio terra, fretumq; tremunt;
Hoc voluit, moriens vt flos & gemma Regentum,
Phœnix phænicem gignat Eliza novum.
Fęlix Elisabeth, tali phœnice relicto
Cuius ab imperio statq; caditq; fides.
Anglia ter fælix, tanto dominante Monarcha,
Qui mare, qui terras, qui fera corda domet.
At tu magnorum descendens stemmate regum,
Inclyte rex, patriæ stella, decusq; tuæ.
Quem leo de Iuda Christus signavit, vt hæres
Imperij tanti sceptra beata regas.
Perge leoninâ virtute domare superbos,
Supplicibus pergas ferre benignus opem.
Musarum sedes refoue, dispelle locustas,
Pelle iugum Papę, pelle, repelle lupos.
Nec Derverguillæ pigeat te sanguine cretum,
Ballioli interdum commeminisse tui.

Bal-

*Balliol* longo memorandus æuo,
Finibus pulsus patrijs ab hoste,
Angliæ tutus subit hospitalis
Iura, fidemq;.
Supplicis casum miseratus heros,
Angliæ princeps Edoardus olim,
Suscipit causam socij fidelis,
Arbiter æquus.
Huius Eduardi meritis, & armis
Tutus ad regnum redijt paternum,
Coniugis lætæ gremio receptus
Balliol hæres.
Fœderis causâ, memor, & fidelis
Principis princeps, celebre inter Anglos
Literis sacrum posuit trophæum
Balliolense.
Fœdus hoc sacrum hoc vtriusq; regni;
Pignus æternum fidei, ac amoris,
Mutuum Scotis, simul ac Britannis
Stat monumentum.
Hanc domum quondam studijs dicatam
Balliol princeps posuit Britannis.
Nunc tuæ sacram fidei legauit
Maxime princeps.
Tu leo Gallis meritò verendus,
Tu leo Belgas superans leones:
Tu leo quartus triplices leones
Angliæ adornans.
Ergò quadrigam Deus hanc leonum
Servet, & Scotis, simul ac Britannis
Prosperum regnum, regimenq; dona,
Summe Iehova.

*Edm. Lillius sacræ Theol. Doctor Collegij Balliolensis præfectus.*

INsula, quam dominus toto diuiserat orbe,
In se diuisa, heu, pertulit arma diu.

Fœderibus ruptis in mutua vulnera fortes
Albanæ Gentes, per scelus omne, ruunt;
Donec in Anglorum regno te fata locarânt
Magne *Iacobe*, Dei subveniente manu.
Insula quem peperit; Gentili in stemmate nostros
Qui numeras Reges, his oriundus avis.
Quem pax, Relligio, pietas, successio, & ortus
Nunc nostrum faciunt, nosq; amor esse tuos.

ELisabetha tibi mea prima inseruijt ætas?
Fecistiq; meos lætiùs ire dies.
Nunc exhausta tuæ cùm sit tibi clepsydra vitæ,
Et meus occasum Phœbus adire paret;
Cùm velut emeritus, sim factus invtilis Aulæ,
*Isidis* ad ripas consenuisse datur.
Hìc ego te supplex, *Princeps* invicte, rogabo,
Hoc vt solamen nostra senecta ferat;
*Illius* vt servus vixi, tibi subditus et sim
Inq; favore tuo des mihi posse mori.
Sic tua *Maiestas* per multos floreat annos,
Victriciq; manu sceptra Britanna gerat.

*Nicolaus Bondus Sacræ Theol. Doctor, & Collegij Magdal. Præses.*

NVbes cruentis (quando fato cederet
Regina lumen Angliæ)
Nos obruturas *imbribus* prædixerat
Papista spirans sanguinem.
Guttam cruoris, quando rex succederes
Iacobe lumen Scotiæ,
Nullam Britannis imbuisse dexteras
Papista mendax audiat.
Dauidis altum pace conscendis thronum
Altissimo care Salomo,
Cuius βασιλικὸν δῶρον obses emicat
Constantioris in bonis,
Pietate, zelo castimonia, fide,
Animi atque Salomoni fuit,

Weston. Duaci, pridie Calend. August. 1602. de tripl. hom. off. fol. ult.

At vos, Duaci præsidere qui scholæ
Falsum prophetam cernitis,
Quos in sacrilegis Papa seminarijs
Adulterauit, aut Iber,
Quibus nefandus pectora accendit furor
In Elisabethæ dominium,
Nunc in Iacobi ne reclametis [a] jugum,
Nec Adoniam sequamini:
Summi favoris in Sionem nobile,
Iehovæ opus miremini: [a] Psal. 2. 3.
Ab execrandis Antichristi dogmatis
Redeatis ad Christi sacra:
Spes irritas ponatis, & puras pij
Levetis ad Deum manus,
Vt hic Britannica sceptra rex teneat diu,
Ac talis inde perpetim.

*Iohannes Rainoldus, Sacræ Theol. Doctor.*
*Collegij Corporis-Christi Præses*

Ad cœlum cùm curru ignis veheretur Elias,
Pallam ac pneuma duplex liquit Elishe tibi.
Post Galli cantus, horâ Regina secundâ,
Ad Christum properans Elisabetha suum;
Imperium, Regnum, sceptrum, diadema Britannûm,
Commisit fidei (*Rex Iacobe*) tuæ.
Pneuma tibi duplex de cœlo mittat Iesus
Hoc regat vsque animum (clare monarcha) tuum.
Anglus cum Scoto germen sic crescat in vnum,
Imperio florens, fructiferumq; tuo.
Vna fides, baptisma vnum, deus vnus vtramq;
Gentem Anglam, & Scotam, tēpus in omne beet.

*Thomas Hollandus Theol. Professor Regius in*
*Acad. Oxon. Exon. Collegij Rector.*

MVsa mihi ad rapidæ ripas gemibunda Sabrinæ,
Spe dubiâ vitæ, regia virgo, tuæ.

Cuius ab vnius, visa est pendere Britanni
   Imperij vitâ, vita; salute, salus;
Quamq; mihi Dominam, tam sensi, servus, amantem,
   Semper vt optârim, te moriente, mori:
Fallor? an accepit, quam vix speraverat, horam?
   Fama eadem pariter vulnus, opemq; tulit:
Vulnus; in extinctâ, quasi luce salutis, Elizâ;
   Inq; novo exorto Sole salutis, opem:
Sic placuit Domino, qui dat mala, dat bona; summo
   Nempe malo, vt summum, sit medicina, bonum.

Iure suo, nostroq; bono, Iacobus, Elizæ
   Sceptra per innumeros missa recepit auos;
Debita quæ generi, poterant donata videri
   Virtuti; regno natus, & aptus erat.
Sunt, quibus est potior, princeps electus, avito;
   Sunt, quibus omnia sunt, *Vix ea nostra voco.*
Anglia ter fœlix nato sibi principe tali,
   Qualem optent omnes, plebs, proceresq; legi;
Divino afflatu, qui regni nascitur hæres,
   A Domino, eligitur, dirigiturq;, Deo.

In Regis poëmata. Nonne Tuo imperio satis est Iacobe potiri'?
   Imperium in Musas æmule quæris? habes.

Divinus vates; divinus Rex; Deus alter
   In terris, qui Rex, atq; poëta simul.

*Richardus Eedes sacr. Theol. Doct. Decanus Vigornensis & Prabendarius Ædis Christi Oxon.*

*Variata* Αποςροφὴ.
*Ad* Angliam *fœlicem ex miserâ.*

Wešt. de rip. hom. off. n perora. ad ca em: Ps. 117. 23

ES misera, & fœlix, pia Gens, mirabile, nunquàm
   Sic esses fœlix, ni misera antè fores.
O, sic te miseram voluit [a] Iesuitica Pubes;
   Non ita fœlicem. [b] Numine facta stupet.

Illa

Illa faces belli ſperabat adultera; pacem
Cœlitùs indultam tu capis alma tuam.
Illa per impurum, miſto cum ſanguine, Cultum
Spirabat: ritus obtinet Angla ſuos.

Ad Elizam, & Angliam.

Ergò animi teſtis (Lachrymæ) non falſa dolentis
Siſtite; nec madidas ſpargite, vt antè, genas.
Tuq; Aſtræa vale, Dea, ſed mortalis: & inter
Aeternas animas [c] aſpice pura Deum. [c] Elizę ἀθανάτοις
Atq; diù fœlix, fœlicior Anglia, ſalue:
Diverſus reliquo eſt orbis ab orbe tuus.
Vtile ſenſiſti damnum: damno aucta poteſtas,
Regnaq; ſunt regnis conduplicata tuis.

Ad Angliam de Iacobo Elizæ ſurrogato.

Quòd ſibi chara fuit, Deus à te tollit Elizam;
Dat tibi Iacobum, tu quia chara Deo.
Hic Sceptrum, hæc Cœlum cepit: vix pulchrius illâ
Cœlum; nil iſto [d] clarius Orbis habet. [d] Teſtis βασιλικὸν δῶρον.

Ad Ieſuitam confectum invidiâ.

Vt, Parſone, ſcias qualem tua flevit ademptam
Anglia; talem Anglis Scotia ſola tulit.
Obtinet is proprio ius regni in ſanguine: id vrit,
Quòd non effuſo ſanguine regna capit.
I nunc, & morere infœlix: lege nuntia mortis;
Quæ [e] dederas alijs regna Iacobus habet. [e] Vir Dolorum (imò doloſus) in lib. de Titulis.

Concluſio votiva.

Regna Iacobus habet fœlicia, læta, quieta;
Aeternumq; habeat. Sint rata vota, Deus.

Thomæ Ravis ſacræ Theologiæ Doctoris, & Decani Ædis Chriſti Oxon.

Morte

MOrte perempta, manet; semperq; manebit Eliza:
Non obijt, sed abit: mors quia vita fuit.
Sed mors heu nobis vera est: dicuntur eclipsin
Relligio, probitas, pax, pietasq; pati.
Sol tamen has tenebras, Rex illustrissimus aufert
Lux, eademq; dies, quæ fuit antè, manet.
Anglia tunc illâ fœlix, fœlicior illo:
Hæc mater nobis: hic pater almus erit.
Vive Iacobe diu, placidaq; potire quiete;
Cuius inest omnis nostra, quiete, quies.
Vive diu fœlix, fœlices qui facis Anglos,
O decus, ô regni lux, patriæq; pater.

*Richardus Kilbaeus sacræ Theologiæ Doctor, Collegij Lincolniensis Rector.*

Χαῖρε Διὸς τέκιον, Βασιλεῦ, Ἰάκωβε Βρεττανῶν,
Τῶν Κελτῶν τε μέδων, καὶ Ἰβήρων Ἰρι ἀνάκτων,
Τιμὰς ἐν μακάρεσσιν ἔχων, κῦδός τε βροτοῖσι.
Σοὶ, καὶ Παῖσι τεοῖς, οἱ Ὀλύμπια δοῖεν ἔχοντες,
Τῶν Προγόνων ἀρετῆς τε δίκης τ' κρατοῦσι καὶ ὄλβου,
Εἰδώλοις φεύγουσι λιτὰς, καθαρῶς τε σέβουσι,
Εὐποιοῦσι πόλεις, πτωχοὺς, μυσῶντε καθέδρας,
Καὶ τῶν ἀρχομένων ἀγαθὸν ζητοῦσι, καὶ ὄλβον:
Αἰῶνας πλείστους διαζῆν, χάριτος μέτα πάντων
Ἕδρας Ἀθανάτοισι λαβεῖν καὶ οὐρανίωνας.

*Ioh. Perin sacræ Theologiæ Doctor, Regius professor Græc. Ling.*

QVæ fuit Europæ lectissima fœmina, princeps
Musarum cultrix, relligionis amans,
Elisabetha, stupor mundi, iam plena dierum,
Laude tamen multò plenior, astra subit.
Dira dies, nisi nos felicior ipsa levasset
Dum rapit, & reddit, dum rapiendo dedit.
Inclyta substituit prælustrem Scotia Regem,
Qui nostras oriens spes iubet esse pares.

Virgi-

Virginis atque viri pietas par: maxime, cultus
  Christe, tui, similis: par quoque pura fides.
Mascula fœmineas sequitur sapientia laudes,
  Virtutem virtus conspicienda premit.
Scotia virtuti tantæ non sufficit vna;
  Sufficiunt tanto sceptra Britanna viro?
Sic dolor attonitos, sic lætos gaudia reddunt:
  Perdidit vna dies, reddidit vna dies.
Anglica gens dilecta Deo, lætare, triumpha,
  Gloria quòd luctus excipit ista tuos.
Papa dole, Iesuita dole, Westone fremendo
  Rumpere, Personi sis bonus, aut morere.

*Georgius Abbats, sacræ Theologiæ Doct. Decanus Wintoniensis, Coll. Vniversitatis Magister.*

ELisabetha piæ sic duxit tempora vitæ
Et sic ad superas expirans transijt oras.
Vt dubitem an vixit melius, vitamue reliquit,
Hæc laus iustorum est: In vitâ & morte triumphat.
Nec sibi prospexit solùm, propriæq; quieti,
Temporibusq; suis indulsit, iniqua futuris;
Semper at illustrem tulit ore animoq; Iacobum.
Nec solum imperium, Maiestatemq; verendam
Hæredi dedit, at verum verbumq; reliquit,
Illæsamq; fidem, & veræ pietatis amorem.
Ergo tui semper memores Castissima Virgo,
Subijcimus res, corda, animos, vitamq; Iacobo.

Ἀνδρῶν ἐκ μεγάλων πόλις ὄλλυται: εἷς δὲ Μονάρχης
  Δῆμος ἀϊδρείῃ δουλοσύνην ἔπεσε.
Ταῦτα Σόλωνος ἔπη: τοῦτον μήποτε ῥήσω
  Σχολία ἐν τέτοκαν, θεσμοθέτην ἱερόν.
Ἄνδρες γὰρ μέγαλοι εἰσ' ἐξανθήματα καλά·
  Ἔμψυχος δ' εἰκὼν ἐστὶ θεοῦ βασιλεύς.

Εὐχώμεθα θεῷ Ἰακώβῳ κῦδος ὀπάσσαι
Καὶ δοῦναι ἀγαθὴν ἐν μερόπεσσι τυχήν.

*Rodolphus Kettle Sacræ Theol. Doctor*
*Præses Collegij Trinitatis.*

QVæ Deus Isacidis, Pharijs quæ fecit in oris,
Vt Gentem elatam, læthali fregerit ictu,
Vt populo grauidas, cælesti semine nubes,
Et velut Ambrosiæ, largos indulserit imbres,
Nouimus: et Dominum mirabimur vsq; benignum.
Mitior at nobis: quanto dare terga profanos
Ante tubas laus maior, quàm vastare rebelles:
Libera fęlici quanto psalmodia terrâ
Exuperat mensam, per inhospita saxa paratam.
Eia Deum cantate: Deus, qui hæc otia Rege
Sancta sub augusto geminat: cui corde precamur
Sceptra tua. & sobolis cœlorum æquæua diebus.

*Tho. Singleton Sacra Theol. Doctor*
*Coll. Ænei-nasi Principalis.*

Anglis vna dies spem, vitam, lumen ademit;
　Anglis hæc eadem reddidit vna dies;
Infælix aurora fuit morientis Elizæ
　Sydere, sole nouo vespera fausta fuit;
Gentes, quæ gladijs in se sævire solebant,
　Lege sub vnius, iam coïere ducis;
De multis natus nobis Rex gentibus, omnes
　Vnit consilio, fœdere, pace, fide;
Vis vnita domi, dominatur viribus Austrj;
　Nec timet Hesperios, hoste furente, dolos.
Armorum cessat rabies, hoc sanxit Eliza;
　Hostes sic moriens vicit Eliza suos.
Qualis Eliza fuit, Talis sit mente *Iacobus*:
　Iustus vterq; Deo, cultor vterq; Dej.
Illam exaltauit Dominus, geminentur in illo
　Dona dei, genio regnet vterq; pari.

Regis

Regis Henrici radios perennes
Septimi ſpargens per amæna Chriſtus
Regna, collegit cineres Britannj
Stemmatis,gentis reparans vetuſtæ
Gloriam,vires,ſobolem,triumphos.

Roma miratur,Levis Eurvs ardet,
Occidens triſti gemit ore,Turca,
Pallet,infeſtus Ieſuita plangit,
Papa formidat,fremit ore Dæmon
Luget Hiſpanus,ſtupet omnis ora,
Noſtra quòd tellus careat minacj
Marte,nec cedat furijs Avernj.
Quòd Deus tantā requiem Britannis
Donet,& belli cohibens furores
Pacis & lucis faciat patronos.
Sic diu noſtro vigeant *Iacobo*
Rege Britannj.

*Io. Williams in Sacra Theologia Doctor et Principalis Collegij Ieſu.*

EN ego credideram fato morientis Eliſę
Omnia finiri gaudia noſtra ſimul.
Credideram mortem,exilium,graue deniq; bellum
Ingruere,& finem non habitura diu.
Chriſticolamq; fidem bellis civilibus actam,
Credideram ſedes linquere velle ſuas.
Cum citò turbatis noua lux eſt rebus oborta,
Inq; tuo ſolo nomine certa ſalus.
Nam ſimul ac rerum tibi (Rex) commiſſa poteſtas,
Inq; tuâ fuerint ſceptra repoſta manu:
Illico defluxit timor omnis; & vnius horæ
Momento,nil,quod quis quereretur,erat.
Priſca fides manſit,pax intemerata,novumq;
Nil,niſi quod læti vidimus eſſe novum.
Hæc cùm tu facias nobis ( rex optime regum)
Ocia,cùm nobis commoda tanta feras:

Nos

**Nos horum memores tibi nos,tibi noſtra dicamus,**
**Omnia cum fuerint munere noſtra tuo.**

*Georgius Riues: Sacra Theol. Doctor,*
*Cuſtos Collegij Novi Oxon.*

NOcte Deus matrem nobis ſubtraxit Elizam,
Iacobum indulgens luce ſequente patrem.
Pſal.30.6. Eſſe quid hoc aliud credam,niſi, Nocte moratur
Fletus,at hunc fletum diſſipat orta dies?
Laus tibi ſumme Deus,qui quæ das vulnera,ſanas;
Et lachrymam exiccas,quàm cadat illa,priùs.
Nempe tui vnius proprium eſt,bona lapſa,futuris
Poſſe reſarcire, & preſſa leuare nouis.

Quàm timui dudum,ne extinctâ lampade Eliza
Nox atra ingrueret,denſis incederet amens
Ieſuita agminibus,fuſo loca cuncta maderent
Sanguine, funeſtis lucerent compita tedis,
Corporibus flamma aggeſtis nutrita, creparet
Horrendum,et ruptis tremerent præcordia fibris?
Fecerat his timidum Weſtonus; fecerat olim
Parſonius,diro minitantes milite gentem
Miſcendam; iratis ſpoliandas hoſtibus vrbes;
Catholicis animos creuiſſe,abijſſe Profeſſis,
Converſis iterum in Tarpeiam affectibus arcem.
Sed falſi vates eſtis Weſtone,paterq;
Parſonides;fatis conceſſit Eliza beatorum
Aſtra ingreſſa;animi ingentes creuere Profeſſis;
Nemo ambit vatis Romanam obtutibus aulam;
Arma ſilent,lucet congeſtis ignibus aër
Lætitiæ in ſignum;ſalui ſaniq; feruntur
Effuſis circùm ordinibus,plebeſq; patreſq;
Iacobum Regem ingeminantes,vndiq; Regem,
Aſſuetis Ieſuita vagus latet abditus antris;
Templa patent,crebris reſonant ſacra concava votis;
Nullæ Evangelium tenebræ occuluêre;Miniſtri
Aſſiduè exponunt populo pia dogmata Chriſti.
Ergò fidem poſthac cohibe, (Sāctiſſime Clemens,)

Namq;

(Namq; tuas palpant parasiti his vocibus aures,)
Vatibus his cohibe; quid enim? tu vera putásne
Expertus toties, Iesuitam posse profari
Assuetum semper falsis? Tu vera locutum
Westonum, læsi narrantem phasma cerebri?
Anglia lætare: in demptæ solamen Elizæ
Iacobum dedit omnipotens; exempla tulisti
Rara sine exemplo; muliebris sexus ab illa
Lumen; ab hoc melior sexus tulit ornamentum.
Sec'la istis decursa nihil maiú'ue, priúsve
Vidêre, internas siue admirabere dotes,
Seu decus externum, & radiantis culmina sceptri.

*Leon. Huttenus Sacra Theol. Doctor, & Ecclesia Cathed. Christi Oxon. Prabendarius.*

NVper vtro plures sint capti, spéne, metuve,
Ambiguum, & dignus vindice nodus, erat.
Quid non sperabât magnæ meretricis alumni?
Et quid non metuit grex sibi, Christe, tuus?
At tibi quum tanto data sunt hæc sceptra, Iacobe,
Applausu, ambobus spesq; metusq; cadunt.
Vertitur in tenues spes nunc Papistica fumos,
Et modò spes recreat quos metus obruerat.
Macte, favente Deo, duo nunc nova regna capesse:
Macte, fremente Papa, nunc tria sceptra tene.
Triplex nunc triplici cedat diadema coronæ,
Et sibi nunc metuat ne Sacra Roma ruat.
Relligio, pietas tibi murus aheneus esto
Rex pie, non alio tutior esse potes.
Hoc, tua nunc, nuper sua, regna hæc cinxit Elisa
Inclyta: quam sequeris, Rex pie, tu sequitor.

*Henricus Airay Sacra Theol. Doctor, & Præpositus Collegij Reginæ.*

Sic

SIc facis ô æterne Deus! Ne pondera luctus
Tam justi frangant animos, solamina fessis
Fortia largiris. Quis enim fulcimine dempto,
Non ruat in præceps, totus, sine vindice tali
Viribus humanis maiori? Gloria soli
Debeturq; daturq; Deo super omnia forti.
Ast te diua anima omnes obtestamur Elizæ
(Vivis enim coniuncta Deo) si gaudia luctum
Imminuunt, nullo minuendum tempore: parce!
Parce simul tu sol oriens! si gaudia luctus
Muta facit, nullo reticenda in tempore. Nam nec
Arcta queunt haustus admittere pectora tantos
Tam subitò: Commista magis sed pocula vincunt;
Gaudia dum luctus; luctum dum gaudia trudunt.
Ferte modò, & faciles ambo date tempora victis!
Et dabimus meritos tibi (Defletissima) peplos,
Atq; tibi meritos dabimus (Rex magne) triumphos.

*Iohannes Aglionbye sacræ Theologiæ Doctor*
*& Aulæ Edmundi Principalis.*

FElix Regali qui Lilia iuncta Leoni
Inseruit signis Gallica signa suis:
Felix, qui Spinâ succrescere fecit ab vnâ
Binas, bellorum semina magna, Rosas:
At tibi maius adhuc patet ampli culmen honoris,
Et tua præteritos gloria vincit avos;
Anglica qui Scotis meruisti insignia signis
Addere, totq; vnâ sceptra tenere manu.
Est aliquid Gentem moderari fortiter vnam,
Gentem humeris vnam sustinuisse suis:
Sed regni patientem in sceptra secunda vocari
Contigit hoc soli (Dìe Iacobe) tibi.
Regna secunda voco? dicto peccavimus vno,
Addita Nam Scoto sunt tria regna Duci.
Atq; vtinam (si me magnus quid Iupiter audit,
Si facili ardentes imbibit aure preces)

Qua

Quæ virtute tuâ regnum iunguntur in vnum,
Sint longùm imperio ſubdita regna tuo.

*Interſerenda hoc in loco*

קיבה לירמיה : בחמה לריף :
חפלה לחרן : Hebraicè pluribus explicata. Sed enim Typographo deerant Characteres.

*W. Thorne ſacræ Theol. Doct. Decanus Ciciſtrenſis, Hebraicæ linguæ profeſſ. Regius.*

*Παλινῳδία Bruti θριαμβική.*

PArcite mortales; Cum vivos inter agebam,
Et tulit à Bruto celebrata Britannia nomen,
Tunc malè diviſi *diviſos orbe Britannos,*
Tunc malè partivi regnum tot fratribus vnum,
Parcite mortales; mœrenti parcite Bruto,
Parcite cæſorum vix ſicca cadavera regum.
Explentur fata, & facta eſt revolutio mundi,
Ad mea reflexum eſt felicia tempora ſceptrum,
Septimus Henricus fundator fœderis ingens
Hoc opus incepit, cœpti quoq; ſemina iecit:
Perficere Octavus voluit; molitur, & vrget.
Aſt voluere Dei divina virgine naſci
(Quam falſò mundus fruſtraq; putaverat orbam,)
Fœcundam prolem, quem Iſâcum Sarra vocaret,
Eliſabetha ſuum compellat Diva Iacobum:
Semine & in cuius tota eſt hæc terra beata.
Integra nunc priſcis redierunt ſceptra Britannis,
Amplius in partes noli lacerare, Iacobe:
Præcipe ſic natis, & qui naſcentur ab illis.
Hoc vnum & ſolum doceat te Papa ſuperbus,
Trinam vno capite immotam geſtare Coronam.
Sed moneo vt facias, quod iam facis: ergo tacebo.
Plaudite mortales, redivivo plaudite Bruto.

*Robertus Tinley ſacræ Theologiæ Doctor è Coll. Magd.*

*Lascia, gran RE, tra le corone, e gl' ori*
*L' hedera mia s' auuolga, e tra gl' allori.*

*GIACOMO glorioso al nome grande*
*Di TE lieto s' inchina inuitto regno.*
*Odi l' allegro suono, il certo segno,*
*Ch' è di gioia, e d' honor per tutte bande.*
*Odi la dotta OSSONIA come spande*
*Arguti accenti, e al TVO bel solio degno,*
*Alla fronte regal fregi d' ingegno*
*Vedi come si tesse alte ghirlande:*
*E me quì forestiero, e al REGE eterno*
*Simiglia, me, ch' empio tiranno, fero*
*Fugendo accolse PRENCE amico, e pio.*
*ELIZA me quì accolse. Da LEI l' interno*
*Dtea' io del cor, deuoto affetto intero.*
*L' alma a TE sacro, imagine d' IDDIO.*

D' Alberico Gentile, *Regio Professore nelle Leg.*

ANglia læta dolet, lætatur & Anglia mœsta,
Inter se pugnant lætitia atq; dolor.
Anglia quid mœres? læteris rege Iacobo,
Qui luctus causam sustulit & lachrymas.
Nam te nec terrent hostes, nec quæ metuebas,
Bella premunt, sed tu pace beata viges.
Pace viges, vigeasq; diu; supplexq; precare,
Longa sit vt regi faustaq; vita tuo.

*Bartholomæus Warner Regius Professor in Medicin.*

DVm gemit æternam metuens gens Anglica noctem,
Occasum plangens lucis Eliza tuæ,
Aureus e Boreâ surgens (mirabile) Titan
Illustrat radijs climata nostra suis.
Illa Caledonijs noua lux emersit ab oris,
Quæ reducem Arctoo duxit ab axe diem.

Lux

Lux nulla ex Austro, nulla ex Oriente refulsit,
Nubibus Occiduæ delituere plagæ.
Nemo malum posthac Borealibus imputet oris,
Grande venit nobis ex Aquilone bonum.

*Henricus Bust. M. Doctor.*

ORbatæ lugete Artes, lugete Camœnæ,
Vestra (nefas!) Mater, vestra Patrona iacet.
At potiùs gaudete Artes, gaudete Camœnæ,
Ecce Pater vobis, ecce Patronus adest.
Nam quarum in cunis vagit, quarum vbera suxit,
Nutricum Princeps immemor esse nequit.
Nemo bonis illîc indignum ferre laborem
Cogetur studijs, Rex vbi doctus erit.
Vna sed ante alias, fœlix Astræa, triumphes;
Munere namq; tuo debita sceptra tenet:
Queîs non Sanguineo est Mavorte potitus, & armis;
Ius tituli vicit te Duce (Diva) boni.
Ergò (tibi sese quoniam debere fatetur)
Immemor officij non erit ille tui.
Et quibus accrevit, secum vnà crescere leges,
Queîsq; viget, faciet Iura vigere diù.
Tu verò è cœlis Saturnia seclà reduces,
Firmabis solium robore, amore thronum;
Augustum vt meritis, annis vt Nestora vincat,
Neruam laude, Numam pace, favore Titum.

Fœlices populi, qui nulla cæde subacti
Victorem accersunt vltrò sibi; iamq; cupiti
Ambitiosa iugi sub pondere colla triumphant:
Non illos Bellona minis furialibus ardens,
Legitimi tituli causa, & Ius vicit inerme:
Non premit hîc dominus seruos, plebemuè Tyrannus,
Sed quasi pupillos populum, quasi pignora curat,
Atq; in Rege simul Pater est, in Principe Tutor.

Anagramma { IVS: BELLI: DVRVM: IVS est, sed amabile pacis.
WILLIELMVS: BIRDVS. LL. Doctor.

IAm festum celebrate diem, belloq; potentes,
Musarumq; Chorus, fœlices Pacis alumni:
Mars & Mercurius duo Numina, Rege sub vno,
Otia per pacem facient, per bella triumphos.
Lætentur Regni Satrapæ, Proceresq; Britanni,
Regis in Imperio, nati de stemmate Regum.
Templa sonent Pæans; hymnis, psalmisq; triumphet
Patrum prisca fides fidum iam nacta Patronum.
Tota sacrosanctum Numen Gens laudet; & omnis
*Anglia* nunc Regi exultet subiecta *Iacobo*.

*Thomas Edwardes,* LL. *Doctor.*

IMperio functa, & fato iam linquit Elisa
Cognati Regis sceptra regenda manu.
Deposcunt lachrymas, heu, tristia funera iustas;
Lætitia at luctus sistit opima graues.
Nam viduo Cæsar solio succedit, honorum
Cui cumulus, duplex gloria, multus amor.
Huc facilis venias, polus est declivis ab Arcto;
Et placida capias obvia sceptra manu.
Aurea tam doctâ gaudebit fronte corona:
Atq; dabit Musis, qui tibi serta dabit.
O Toga jam fœlix, capies tua præmia tandem;
Et facies claros, sicut & Arma, viros.
Magne Iacobe diu regnes, & pace fruaris,
Sæpiùs vt calamos, rariùs arma feras.
Succrescatq; puer, spes altera, clara parentum
Magnorum soboles, deliciæq; patris.
Nectat sic animos, vt nomina nectit avorum;
Et iunctos, famâ nominis, æquet avos.

*Guil, Paddy Iohannensis. Med. D.*

SIcciné nos salvos? sic nos sine fraude beatos
Et novus atq; absens Dic Iacobe facis?
O miranda tui, Princeps, primordia regni:
Annue progressus Optime Christe pares;

Hosti-

Hostibus invidiâ rumpantur vt ilia nostris,
Romipetas voti pœniteatq; sui.

*Henricus Marten I. C. D.*

EHeu, *Elisa*, gentis Angligenæ decus,
Dū sydus oritur; Diua cū moritur, dolor.
Hœres avita, sceptra, dum Prœtor Leus, — Tho. Leigh, Rob. Lee, Prœtor London 1558. 1603.
Cepit: reliquit sceptra, cum Prœtor Leus,
Hœredi avito, regio, recto, pio:
Cētesimo anno, postquàm hoc hæredis genus — Marg. maior filia Hen. 7 nupta Iacobo 4 a 1503
Bona Margareta in Scotiam coniux tulit.
*Elisa* pridiè, quàm priùs (Fasti vt ferunt) — Septem 7. a. 1533.
Prognata Virgo Maria matre Annâ fuit:
Defuncta pridiè, quàm salutante Angelo — Mar 24 int. 2. & 3 matut
Annunciata est Virgini Matri Salus.
Fælix vtrinquè nuntius: et illi salus
Æterna, & Anglis (spero) diuturna est data.
*IACOBVS*, eugè, quam recognovit sibi
Matrem & Sororem, reddit: exemplum optimum.
Vt illa vicit fœminas, imò & viros;
Tu non modò viros vince, sed & illam: pares
Habes ab illa copias; adde & tuas:
Scotis & Anglis Scotus vt pellas *exθρους*:
Cathedram Iacobi Sexte, Prime Anglis tene.
*ERIS BEATA et ANGLIAE*, illius fuit: — Elisabeta Regina.
*BONA CAVSA REGI LEX*, anagrāma est tuum: — Iacobus Rex Angliae
*TV AMOR ORBIS AC LVX, TV*, tuum est, *REGNAS*, tuum est. — Iacobus Stuart Rex Anglorum.
*NVMetVs VtaDsIt, VIVe ReX, VIVe, & VaLe.* — MDCIII.

Scotus, dum peregrè est, Anglos amat, adiuvat, acsi
Eiusdem patriæ: cur secus antè domi?
Rectè ait, eiusdem patriæ: nam, quæ Insula tanti,
Tanta, vt diversos proferat vna solo?
Quin vnos dicam, quos iam fœliciter vnit
Rex, Princeps, lex, pax, vox, mare, terra, Deus!

 Quid

Quid tot ſignificant Iacobe plauſus,
Plauſus vnanimes, ſenum, virorum,
Vxorum, iuvenumquè, virginumquè,
Dum cantatur, Io triumphe, cunctis:
Dum cuncti recinunt, Iacobe vivas?
Nos hoc imperio docent beatos;
Tequè hoc obſequio volunt beatum.

Anglos luſtra decem principe fœminâ
Viderunt, memorant, miraquè, veraquè,
Si pax, frugicolas vivere in otio,
Si bellum, validos vincere prælio,
Seu terram colerent, ſeu mare, divites.
Quid tandem facient Principe ſub viro
Prudente, armigero, magnanimo, pio,
Anglis Scotigenis viribus additis?

*In Principem* HENRICVM FRIDERICVM.

INter herôas melioris ævi,
Qui novem priſco memorantur ævo,
Noſter Henricus numeratus olim
Vatibus Anglis;
Noſter Octavus: novus ecce nobis
Surgit Henricus, nova ſpes, Iacobi
Filius, nobis numerandus Heros
Nonus, & illis.

*RE di Re' figlio, GIACOMO Stuarto,*
*Dell' Iſola di tutte altre maggiore,*
*Del Marte alunno, e delle Muſe honore;*
*Del mar' Imperatore, inſino all' Arto*
*Fin dall' Herculee porte, Herculeo parto;*
*De' bien del ciel divin diſpenſatore;*
*L' amor de' tuoi, de' nimici il terrore;*
*Riparo di virtù, di Fè ſtendarto;*
*Vagho del ciel, Muſagete dell' arti,*
*Da Battro rinomato alla tua Thile,*

*L' arti adorarti vedi, e'l ciel amarti:*
*Vedi de gli Offenies al vario stile,*
*Al merto se potesser' eternarti,*
*Marone, Homero, e'l Petrarca gentile.*

*Matthæus Gwinne M. D. Ioannensis.*

DOna coronato multi dant aurea Regi,
Fulva quibus flavi cedat arena Tagi:
Dant alij Gemmas, saturatas murice vestes
Dant alij, gazas dant alijq; suas.
Vt varius status est hominum, sua munera quisq;
Sic variat, Regi grata futura suo.
At quibus hæc non sunt, quid quis sperabit ab illis?
De nudo vestem sumere nemo potest.
Hinc est quòd docti, tua quos Academia fovit,
Sola ferant animis dona oriunda suis,
Quæ si cum reliquis trutinâ pensaveris æquâ,
Indorum ac Arabum vincere dona scias.
Quò magis ergo animi fortunæ munera vincunt,
Hôc sint nostra tibi munera grata magis:
Sic tibi Nestoreos annos, Rex alme, precamur;
Teq; beet cunctis Angla corona bonis.
*Vive Iacobe diu*, rex secula plurima vivas,
Anglia tota sonet, *vive Iacobe diu.*

*Iacobus Hussey Aula Magdalenæ Principalis.*

*Vaticinium Henrici septimi, de successuro in Anglorum imperium serenissimo Scotorum Rege Iacobo sexto abnepote suo.*

SIc erat in fatis; centumq; Decembribus actis,
Margareta novum, patribus, populoq; Britanno
Debebas Regem; Sic præscius ipse futuri
Henricus cantabat ovans; & Apolline plenus,

Annal. Angl. & Rossæus in Hist. Scot. nupsit Marg. Iacobo 4. An: 1503. Angloq; Regnum, 100. post annis eius pronepos inchoavit.



Post.

Postquàm extincta mea est lachrymoso in funere proles,
Masculi, perpetuo venturos ordine Reges,
Fertilis accipier, gnatæ de sanguine cretos
Anglia, & agnoscet fasces gens vtraq; nostros.
Fallor? an & patrium repetit modò Neptis Olympum,
Henricos iuxta, spectabilis atq; Edöardos
Elisabetha, Deos inter confusa nitentes?
Tu cape sceptra manu, proavorum iure (Iacobe)
Omnis in integrum, per te, coit insula Regnum.

*Ioh. Budden in iure civili Doctor, è Coll. Beatæ Mariæ Magdalenæ,*

see the suppressed verses transcribed at p. 209.

IN diuersa vocor, Reginâ trister ademptâ,
An noua concipiam gaudia Rege nouo.
Rapta quidem memini bona: sed meliora venire,
Spes certa est; superes spes bona; cede dolor.
Cede dolor: nec enim spes tantùm est certa bonorum,
Res est, quæ fuerat spes bona; cede dolor.
Iamdudum cuncti fruimur Te Rege Iacobe,
In semente ipsâ prospera messis inest.

*Ol. Lloyde. LL. Doctor Coll. omnium animarum,*

SPe fraudata sua, & Domina, nunc Anglia mæsta est:
Spe donata sua, & Domino, nunc Anglia læta est:
Quæ modo defunctam Reginam planxit Elisam,
Plaudit, & exultat Regem iam nacta Iacobum:
Momento mansit planctus, (mirabile dictu)
Momento rediit plausus, (*Rex vive Iacobe.*)
Ingrata in superos nè sis ô Scotia, nè sis
Anglia, iuncta simul, quibus est Rex vnus & idem.
Fœlix ille dies, qui vos coniunxit in vnum,
Quæ facit vnitas, fœlix coniunctio, Gentes.
Iam tandem sortita suum vetus, Insula, nomen,

Quæ divisa fuit, nunc vna Britannia tota est.
O nos fœlices, ô fausta Britannia, (certè
Si quid in hoc mundo fœlix, faustumq; vocetur.)
Iustitia est radix, qui nos coniunxit, amoris;
Relligio nexus; Pax fructus; sed Deus author.
Per quem Rex regnat, sine quo quot Regna, tot hostes.
Te tua Regna parem faciunt Dijs, *Diue Iacobe*,
Sola Deo charum pietas: pie viue *Iacobe*,
Chare Iacobe Deo, bene vivas, & bene regnes.

*Rodolphus Huchenson Collegij S. Iohannis Baptistæ Præses.*

SIc est, Angligenûm spes vnica, fila salutis
 Angliacæ, secto stamine rupta iacent.
Cœlitùs emissam in cœlos (en) transtulit almam
 Elisabethæ animam, qui dedit ipse Deus.
Quid, nisi mille cruces, miseros manet ergò Britannos?
 Quid, nisi mille neces, mille & acerba pati?
At melius; mala nostra, suâ bonitate Iehova
 Antevenit; miseris fert miseranter opem.
Cœlitùs Augusto cessit Diadema Iacobo,
 Et rediviva redit semisepulta salus,
Quicquid in Augustâ perijt priùs Elisabetha,
 Fœnore tu largo (Magne Iacobe) refers.
Ah pereat quicunq; tuis contraria cœptis,
 Clausa sinu bifido corda rebellis habet.
Et cui succedis solio sceptroq;, precamur,
 Hanc vita vt superes, pace, & honore prior.

*Georgius Summasterus Aulæ Late-portensis Principalis.*

VUlnera vox fecit Reginæ nuntia mortis,
 Vulnera mox, eadem fecit, opemq; tulit.
Scilicet in Regnis te successisse Britannis
 Nuntia vox nostris est medicata malis.

In

In Regnis igitur quem successisse Britannis,
Nuntia vox tantis est medicata malis.
Hunc Phœbum Imperio lętabimur esse potitum,
Artem qui colimus, Phœbe diserte, tuam.

*Ioannes Evelegbe Aulæ Cervinæ*
*Principalis.*

REGIA progenies, Princeps ter Maxime, salve,
Et patriæ vindex, & Pietatis amans.
Magnus avis, opibusq; potens, gravitate serena
Insignis, nec non Relligione pius.
Inter se pugnant pietas et stemmata avita;
Hæc plus adiungant laudis, an illa tibi.
Mactè animo latus ad pacem, nec invtilis armis,
Si placet armari pro grege, lege, Deo.
Eia age, iam Regni Anglorum cape fræna potentis,
Et dextrâ dextrè iam moderare tuos.
Hinc precor vt longùm fœlici sydere viuas,
Et faueant votis Numina sancta tuis.

*Rodolphus Bradillus Aulæ B. Mariæ*
*Virginis Principalis.*

SEptimus Henricus florem coniunxit in vnum
Discordes, niueam, perpureamq; rosam:
Anglos cum Scotis coniungis, Prime Iacobe;
Sanctè sic cocunt, nunc duo regna simul:
Dic vter ex illis meliùs rem gesserit Anglis:
Huius, an illius gloria maior erit?
Laurea prima tibi debetur, Prime Iacobe,
Palma secunda tua est, hæc duo solus habes,
Purpureus certè es, niveus tu surculus idem,
Hócq; datur titulo, iusta corona, tibi,
Anglos cum Scotis felici fœdere nectis,
Sicq; potens regnum, tu facis ipse potens:

De

*De Insignibus Britanniæ Regijs.*

TErgemini flores tua sunt Insignia digna,
Florenti regno conuenit ille decor,
Tergeminusq; Leo, pariter tua sceptra colorat,
Invictum regem, talia signa decent.
Nunc Leo magnanimus, superadditur ecce Leoni,
Tergemino, fama est sic geminata tibi:
Inde pius quisquis fueris, tibi gaudia crescunt,
Quisquis at invideas, crescet et inde timor.

*Io. Hawley: Principalis Aulæ Glocestrensis.*

*IACOBVM Angliæ, Scotiæ, Galliæ, & Hiberniæ, Regem* BARO VVENTEVVORTHE SALVVM VELIT,

*I* Nclyte Rex, *VV* ltu irradia nos, splendor Iërni S,
*A* nglis sola salus, *E* t Cambris anchora sol A,
*C* andida stella Scotis, *N* il dignum principe do, ni L
*O* rdine congestum, at *T* u blando consule vult V.
*B* ella precor sileant, *E* t te duce tristia vis V,
*V* t videat *VV* entworth concordi pace quiete M,
*M* œstaq; diffugiant *O* dia, et metuenda relat V.
*B* ello finito, *R* equies tibi singula pac E
*A* ccumulet læta semper, *T* e sollicitet ni L.
*R* ex fælix vivas, *H* uius cape gaudia sceptr I,
*O* mnia læta, precor, sint, *E* t benè singula cedãT,

*Thomas Baro VVentworth annorum vndecem è Collegio Trinitatis,*

QVilibet en loquitur, me me pudet esse silentem,
Inuitis Musis, en loquor ipse tibi.
O rex illustris, qui splendida regna gubernas,
Infantis votum iam cape, VIVE DIV.

*Henricus VVentworth 8. annorum.*

Nunc

NVnc eſt, ignotas animum cum flectere ad artes,
Naturamq; novare velim, pictaſq; volucres
Remigio alarum ſulcantes æquora cœli
Nequicquam vano deinceps imitarier auſu,
Et ſeptemgeminas Romæ contendere ad arces.
Vnde tibi (Clemens inclementiſſime) pandam
Perniciem, exitiumq; tuum; triplicemq; Coronam
Æterno Angliadum ſecluſam fœdere ab oris.
Maturate fugam, tuq; (ô vittate ſacerdos)
Tuq; adeo (Ieſuita minax) quos inter, vt olim
Terrigenas fratres, clades odia altera poſcunt.
Non illi imperium Britonum, nec eburnea ſceptra
Fas tractare manu; regat ille immania clauſtra
Veſtras, ô monachiq; , domos, fratreſq; nefandi.
Hic nos Iacobum venerabimur; hic prece multa
(Temperet æquoreos vt læta pace Britannos)
Divûm ſollicitemus opem: nil gratius illo,
Charius aut quicquam regali ſtirpe creatum.

*Daniel Purye Alma Academ. Oxonienſ. Procurat.*

QVem regni Proceres, quem tota Academia, cives
Quem Londinenſes, plebſq; Britanna, petunt;
(Quod fœlix fauſtumq;) Deo ſic cuncta iubente,
(Ille ſalo nobis imperat, ille ſolo.)
Ille diù viuat, quem ſalvum poſcimus omnes,
Quem canimus Regem, regnet & ille diù.

Scotia te Sextum, Primum vocat Anglia regem
Prænomen reſonans noſtra, Iacobe, tuum.
Qui fueras fœlix, nunc te fœlicior ipſo,
Non quia Rex Sextus, ſed quia Primus eris.
Nam primus magnæ quia tu ſucceſſor Eliſæ,
Regum tota cohors invida turba tibi eſt.

*Gualterus Benet. Alma Acad, Oxon, Procurator*

Hen-

HEnricus Princeps quo non præstantior alter
Septimus a primo nominis huius erat.
Quartus ab hoc Proauûm deducẽs stemma Iacobus
Iure, sibi Anglorum debita regna, tenet.
Finem ille imposuit bellis civilibus, at nunc
Ne surgant iterum sustulit iste metum,
Quem læti vnanimes Proceres populusq; salutant,
Et pro quo fundunt vota precesq;, Deo.
Virtutes Ataui (cuius modo sceptra gubernas)
Successusq; tibi, lætaq; cuncta precor.

*Nemo me impune lacessit.*

QVod Rex sępe solet, (nemo me impune lacessit)
Dicere, dehinc nostrûm dicere quisq; potest
Quo melius valeas Rex id præstare, Iehova
Coniunxit Scotis Anglica regna tuis.
Semper vt id possis, tibi tempora longa precamur,
Vtq; diu fælix hæc tua regna regas.

*E. R. Aula Gloc.*

SI quis miretur post bellica signa nepotum,
Post civile nefas, fædera inire rosas:
Nunc stupor attonitum reddat, nunc gaudia fundat,
Cùm videt horrendas fœdera inire feras.
Arma Iacobus ovans dat iunctos pace Leones,
Res memoranda viris, sed tribuenda Deo.

*Richardus Boughton e Coll. Magd.*
*The. Bac.*

SEclòrum mendax sileat figmenta vetustas
Aurea quis verè tempora nostra neget?
Non tria dat natis Saturnus regna superbis
Sectio non facta est sortis vt illa fuit.
Non Pluto infernum, Nereus mare, Iuppiter astra,
Nec sua sceptra tenent tres tria, quisq; suum

Sed

Sed pater æternus Κρόνιος diadema Iacobo
Vni dat triplex, & tria regna *Scoto*.
Anglia sit cœlum, sit Gallia ad æquoris instar,
Tartareis tellus par sit Hyberna locis:
Iuppiter hic, Nereus; Πλοῦτος Iacobus ad vnum
Sceptra relicta tenet bis duo, quodq; suum:
Et teneat precor vsq;, quoad tenet æquor arenas,
Terra viros, manes Tartara, & Astra deos.

*Henricus Chittie Magist. Art. è*
*Coll. Magd.*

Atra nox nobis tenebras, cadente
Lucidâ stella tulit, ô dolendum:
Sed diem Arctôo retulit resurgens,
Phosphorus orbe.
Hic dies nobis meritò placebit,
Clarus affulgens populis Britannis,
Lætus, & festus celebris quotannis,
Atq; triumphis.
Vanuit stridor litui tremendi,
Et tubæ, & murmur grave classicorum,
Et minæ diræ cecidêre Martis,
Sanguinolenti.
Non citò motum paveo tumultum,
Nec feras hastas, galeasve leves,
Nec mori per vim timeo, tenente
Sceptra Iacobo.
Ille enim dicto citius seravit,
Publicato nomine, templa Iani:
Otia & secura dedit, sine vllo
Militis vsu.
Sub iugum mittat populum rebellem,
Ducat effrænos iaculis vaganteis
Per sacrum clivum, viridi decorus
Tempora myrto.
Vivat: et regni, & populi Britanni
Gaudeat dici pater, atq; princeps.

Multa

Multa rex fœlix peragat superstes
Lustra Iacobus.

*Carmen Thomæ Luddinton Sacræ Theol. Baccalaurei Coll. Lincolniensis*

QVem pater ipse Deûm sceptri donavit honore,
De cœlo missum tristes lenire dolores,
Hunc flexo Proceres regem venerantur ovantes
Poplite, testanturq; hilari sua gaudia vultu.
Nec minor est huius populi resonabilis Eccho,
Nec te dissimili regem venerantur honore,
Qui plausus, fremitusq; altum super æthera mittunt;
Et multis suprema sonant clamoribus astra,
*Vivat Iacobus* multos fœliciter annos,
*Vivat Rex* solus tanto diademate dignus.

Neuè est cur canerem meritas per compita laudes,
Quas tibi Brutigenæ tribuunt, Doctissime princeps,
Vel quantum exhilaras pectus mœrore sepultum.
Quàm placidus, quàm gratus ades, animalia bruta
Dicunt, et dominum rerum genus omne salutat.
Aspicis, vt teneros subitus vigor excitat agnos?
Vt læta exsultat regnanti turba magistro?
Te pinus reboat: platanus te lata susurrat:
Ridet et omnis ager, rident sylvæ, antra loquuntur,
Ac doctæ spirant cupidè præsagia rupes.
Hoc solum votum senis est, Rex inclyte, cœli
Sit tibi multus amor, cœptam nec desere terram.

*Robertus Avis: Theol. Bacch. è Coll. Trin.*

INdixit scelerum vindex Rhamnusia bellum
Anglis, quod fuerat sæpe minata prius.
Cœlica succurrit suadens Clementia pacem,
Certatim pugnant, iurgia mira ferunt.
Cœlestis tandem litis stetit arbitra Pallas;
Iudicio lato placat vtramq; deam.

Obs-

Obtinuit Nemeſis,raperetur virgo,Columna
Vnica tunc Anglis,Eliſabetha potens.
Palladis edicto iuſſit Clementia,regnet
Iacobus generis iure,regatq; pius.
Præmia num pacis maiora,an pœna Britannis
Obtigit,incertum;iudicet hoc ſapiens.
Interea vigeat veſtra hæc ſacra ſancta poteſtas
Perpetuò,et cunctis hoſtibus imperitet.
Floreat ęternùm,,longáq; propagine creſcat:
Adſint pax,pietas,gloria,fama,ſalus.
Auſpicijs ſummus faueat iam rector Olympi,
Occupet & Chriſtus pectora,corda, animas,
Hoc petit obnixè,et ſummis Academia Votis,
Qui renuit,pereat; pœniteatue mali.

*C. Owens in Art. Mag. è Coll. Oriel.*

*Ad Apoſtatam Pſeudo catholicum.*

ANte diem toties optaſti funus *Eliſæ*?
Stulte,thronũ Debores,en tibi,Sãpſon habet,
Fruſtra expectaſti,gens Cœlo inviſa,Soloq;:
In loculos oculos ergò repone tuos.
Vltima Apoſtaticæ nam debellatio turbæ
Accreuit Titulis,Magne *IACOBE*, tuis.

*Tho. Draperus Coll. O. A. Socius.*

CUm *Roſa* iuncta *Roſæ* fuerit,tunc cœpit oriri
Lux magna Angligenis , magnaq; cura Dei,
Nunc fulget longè lux maxima,maxima fulget
Cura Dei toti,terra Britanna,tibi.
Angligenæ & Scoti Duce nunc iunguntur in vno:
Nunc Regnum Regno , non *Roſa* iuncta *Roſa eſt*.
Profuit Angligenis tantùm iunctura *Roſarum*,
In clade & tenebris qui iacuere diu.
Aſt ambos populos iuvat hæc iunctura, iuvatq;
Hæc multas gentes,multaq; regna iuvat.
Hæc vtinam ſemper maneat iunctura,nec vnquam
In partes rurſus ſit reſoluta ſuas.

Sic

Sit contenta regi simul vno Principe, cùm sit
Vna, nec in varios secta sit ipsa Duces.
Nate *Rosâ* duplici, populo quoq; duplice nate,
Gratus ades regno Dive Iacobe, tuo.
Gratus adest tecum *Princeps*, quem *Cambria* verum
Agnoscit Dominum; quem colit ipsa Ducem.
Ambos defendat divino numine; sacras
Amborum stirpes augeat, ipse Deus.

*Griffinus Powellus socius Coll. Iesu.*

VAna quid invictam iactas, Hispania classem?
Roma quid in Britones fulmina bruta iacis?
Anglia sola tuas disiecit in æquore classes:
Despexit diras Anglia sola tuas.
Divino auspicio modò iuncta Britannia, ridet
Hispani atq; Itali fulmina, vota, minas.
Virgo tuas sprevit bullas, ac bella: *Stuartum*
(Credo equidem) invictum nunc tua fata timent;
Aspice vt Arctoum victoria semper ad axem,
Imperiumq; orbis vergit, amatq; polum.
Persicus Assyrios superavit, Græcia Persas,
Græcia mox Italis facta rapina lupis.
Tuq; triumphabas, olim caput orbis & vrbis
Roma: ruina hodie Roma, caputq; mali.
En rapit imperij partes, Germanus, Iberus:
Vtraq; nunc spolijs regna superba tuis.
Fallor? an occidua princeps modo surgit ab Arcto
Orbis amor, Britonum gloria, gentis honor?
Hispanas qui frangat opes, Italiq; furores,
Pontifici excutiat qui Diadema triplex.
Ecce quot invictas gentes, populosq; feroces,
Quotq; sub imperio regna *Stuartus* habet.
Anglia magnanimis decorata Leonibus, ipsos
Subijcit imperio, seq;, suosq; tuo.
Scotia Cæsareis olim insuperabilis armis,
Quondam infensa Anglis, te duce fida soror.

Insula ad occasum tibi servit Hibernia, bello
Gens furibunda, minax, indomitumq; genus.
Gallia ab Edvardo, capto superata Ioanne,
Stemma tuum decorat floribus ipsa suis.
Atq; Caledonijs florens Hyacinthus in hortis,
Iure tuum in Francos ius, titulumq; notat.
Ambit amicitiam Germania: teq; patronum,
Hispanum vt reprimas, expetit esse suum.
Danica regna toro dudum sociata iugali,
Sceptra tibi firmant, Tu quoq; sceptra Dano,
Sic tria regna tuo sunt fœdere iuncta perenni,
Scotum Anglis iungis, iungis vtrosq; Danis.
Cacolici trepidate animis: Hispane STVARTO
Iungere; tu Italiæ gens sacra, fœdus ini.
Hispani exosus fastum, tua regna Iacobus
Deseruit Divus, regna Britanna fovet.
Papa fave paci Britonum, Divoq; Iacobo:
Fulmen inane tuum est, nil tua bulla valet.
Aut age, bella cie, furiasq; immittito regnis,
I pete Tartareos, atq; Acherontis opem:
Proteget hoc regnum divûmq; hominumq; caterva,
Proteget æternus, Rex, tua sceptra deus.
Tu venerare Deum, sceptri vitæq; datorem,
Vtq; alijs maior, sic minor esto Deo.
Arx tibi relligio, princeps, pietasq;, fidesq;:
*His vince*; Imperij sint pia fulcra tui.

*Richardus Crakanthorp, sa. Theol. Bacc. è Coll. Reginæ.*

ANglia defunctam dum deflet tristis Elizam,
Cui non viderunt seclâ priora parem:
Vidit, & afflicti miseratus Christus ovilis,
Quam potuit properam, ferre paravit opem.
Atq; novum Regem veteri de stirpe creatum
Concessit populo, qui regit astra, suo.
Vt quos sera graves movêre crepuscula fletus,
In nova convertat gaudia Rege novo.

O prælate alijs Rex illustrissime regum;
Fœlici capias Anglica sceptra manu.
Per quem cum pietas, virtus, Astræaq; virgo,
Vniri faciant inclyta Regna duo;
Anglo-Scotorum connexio firma ligetur,
Quam videant ruptam sęcula nulla, precor.

Nunc æterna viget gentis Concordia Scotæ
Cum gente Anglorum (Rex Iacobe) tuâ,
Vnica quos tellus, Regnorumq; vnicus hæres,
Vnus quos animus iungit, & vna fides.

Bina prius flores Gallorum, bina Leones
Anglorum fuluos, fortia scuta ferunt:
Non varijs campis Leo nunc à flore vagatur
Omnis inest Clypeo flosq; Leoq; tuo.

*Nic. Limeby, Ioannensis S. Theo. Bacch.*

FLorentem *Patriam* (Reliquo laus invida mundo)
Florentem studijs, relligione, fide,
Florentem populo, mercatu, legibus, armis,
Ortu, obitu fœlix, reddis *ELIZA*, tuam.
Hæres te sequitur, titulo, virtutibus hæres,
Hæres (iure) tuæ sedis, honoris, avi.
Iustitia hunc celebrat, clementia, cura suorum,
Et laus coniuncti, casta sed illa, thori,
Præsidium legis, fidei tutela, Deiq;
Cultus, & armorum gloria, pacis amor.
En agnosce tuum, venerare Britannia Regem;
Fortem animo, purum pectore, mente pium
Doctrinâ, linguis celebrem, varijsq; nitentem
Dotibus, & demum, quicquid *ELIZA* fuit.
Sic (Invicte) refers summis virtutibus ipsam,
Vt sceptro fœlix regnet *ELIZA* tuo.

*Roulandus Searchfield Ioannensis*
*sa. Theo. Bacc.*

EN virgo sterilis fœcundans morte Britannos,
Phœnix, Phœnicem peperit, Regina Iacobum:
Excluso fœtu, nidum sibi construit ipsa
In Iovis ipsius gremio: Decoratq; supernos
Cynthia luce choros; moriens quoq; consulit Anglis,
Pro Luna Solem patriæ largita benignum:
Tardus ad occasum vergas (ô Phœbe) precamur.

*Ed. Carpenter, Sac. Theol. Bacc. è Coll. Mag.*

ELiza Princeps Britones linquens suos,
Æterna divos inter vt regna occupet,
Ad sydera suos haud priùs gressus tulit,
Quàm de futuro hærede mox tanti imperi
Prospexerat. Rege haud minor quisquam placet,
Vt principis succedat in tanti thronum:
Virtute quòd genereq; cedat proximus
Iacobus, hæres vnus is Elizæ placet.
Eliza sola at sceptra non tradit tibi
Iacobe: totus en Britannorum Chorus
Gratamur: en te sanguine vtroq; editum
Speramus omnes denuo auctorem fore,
Anglos Scotosq; perpetua vt inter fient
Fœdera, & vt vnus fiat hinc populi duo:
Ortus suos quæq; repetunt: Bruto ferunt
Regnante tum Britanna regna vnum penes
Stetisse: rursus sub Iacobo hoc accidit.
En nunc Britannos vnus hic cunctos regit.

*Tho. Phippes Magd. Coll. Sa. Theol. Bacc.*

VIrginei cecidit flos illibatus honoris,
Orbis amor, placidi numinis alma Charis.
Quid dixi? cecidit? scandit super æthera Princeps,
Angelicos inter conspicienda choros.
Illa quidem exultat, Phœboq; induta corusco,
Sub pedibus Lunam virgo beata premit.

Orba

Orba sed ereptam deflet Respublica matrem:
Custodem, Christi deflet ovile, suam.
Ergo quid? aut nemo, vel tu (Rex inclyte) solus
Solamen tantis cladibus esse potes.
En tibi Christus oves, tibi se Brittannia gaudens
Subijcit, en fasces tradit Elisa suos.
Alitibus procede bonis, & numine fausto,
O populi radians sydus, et aura tui.
Accipe virgineos fasces, cognataq; regna,
Angla Caledonijs sceptra coire iubens.
Integra magnanimam pietas firmavit Elisam;
Relligio solium fulciet alma tuum.

*Joannes Parkhurstus è Coll. Magd. Sacræ Theol. Bacch.*

INclyte Rex, magnis Anglorum regibus orte,
Quem Deus ad fausta hæc servavit tempora, fœlix
Auspicijs lætare tuis, Deus ista benignus
Fata dedit tranquilla tibi, ter grata Britannis:
Hoc opus Excelsi est, sceptris qui præsidet altus.
Læta sub auspicijs multos iam floruit annos
Anglia, Reginæ dudum fœlicis Elisæ:
Reginæ, fideiq; , et relligionis amantis,
Nobilibus charæ, populi fœlicis amore:
Quippe pari est complexa suos virtute benigna.
Hæc, Princeps dilecte Deo, tu sceptra capessis,
Nobilis Anglorum Rex, augustissimus hæres.
Curia, Nobilitas, plebs, relligioq; , fidesq;
Vnanimes tam fœlici moderamine gaudent.
Vive diu invictæ fœlix successor Elisæ
Defensor fidei, Papæ ventura ruina,
Gloria Nobilium, populi tutela salusq; :
Imperiumq; tuum sit par, vel maius Elisæ.

*Ad Anglo-papistas.*

Heccinè vestra dies, quam sic sperastis, Eliza
Naturæ vt cedens, terra cinisq; foret?
Non spes vana fuit; cinis est: mundiq; triumphum
(Sic moderante Deo) iam levis vrna capit.
Nec dum vestra dies; sunt nunc & tempora Elizæ,
Relligioq; & pax vna, eademq; fides.
Imperiosa suo floret sub rege Iacobo
Anglia fœlici pace beata suâ.
Quàm spes vana fuit? Deus irrita vestra redegit
Vota: dies hæc est nostra, sacrata Deo.

I Musa tenuis, carmini & veniam expete
A Rege summo qui sacris Musis præest;
Indigna quid tu Principi tanto offeras,
Multiplice sacrarum arte Musarum inclyto,
Scientiarum Præsidi, ac tanquam Deo?
Tua dona supplex offeras, vota, & preces.
Æterne mundi rector, & rerum arbiter
Qui præpotenti sceptra moderaris manu,
Qui regna firmas pace, iustitiâ, fide,
Idemq; Gentes Marte violento obruis,
Qui sceptra sacræ Principis dudum Angliæ
Volvisti Elizæ fausta iam lustris novem;
Bonitate solitâ protegas Vnctum tuum,
Stabilito regnum pace, iustitiâ, fide,
Cœlestem ab alto regiæ sapientiam
Infunde menti, Principum imperijs parem:
Populum vt gubernet pace perpetua ac fide.
Vt sic potenti dextera salvus tua,
Sacros triumphos nomini celebret tuo.

*Ioannes Foote Theolog. Bacchal. ex Æde Christi.*

ELisabeth sancta est in cœlo, sanctus & alter
Princeps in terris Anglica sceptra tenet.

Quæ

Quæ maiora putes miracula? ſummus vtriq;
    Author adeſt, hæc ſunt Principis, illa Dei.
Immo vtrunq; tuū eſt ter ſancte & ſumme Iehovah,
    Ergo aſcribatur gloria tota tibi.

Papicolæ fratres, monachi, Ieſuita, ſacerdos,
    En veſter, nobis aureus annus adeſt.
Aurea iam verè ſunt ſæcula, plumbea vobis:
    I nunc & lentas corripe turba moras.

Ecce ignis noſter cœlo demiſſus ab alto eſt,
    Expectes ignem nunc Baalita tuum.

Falluntur veteres, non fert Panchäia ſola
    Phœnicem, peperit Scotia noſtra ſuum.
Multiplicet novies Phœnix mirabilis iſte,
    Sæcula Phœnicis, quem ſibi fingit Arabs.

Rerum certa ſalus, terrarum gloria ſumma,
    (Principe quo magnum credimus eſſe Deum)
Macte Iacobe tuo zelo, pietate, labore,
    Vindica ab interitu cœlica verba Dei.
Supplantes Papam, ſic rite vocere Iacobus;
    Namq; is ſupplantat regna, Deumq; tuum.
Quodq; facis miſeras hoc aſſere tempore Muſas,
    Quæ nunc contemptæ, nunc ſine honore iacent.
Sic alijs, nobis, ſic militiâq; togâq;
    æterno æternùm nomine clarus eris
Tu modo perge precor quò te tua fata vocarint,
    Perge, caue & ceptâ ne moveare viâ.

*N. Higs Balioleníis, ſacræ Th, B.*

MAgne Iacobe veni, magnæ ſucceſſor Eliſæ:
    Integra te Regem terra Britanna vocat.
Saxonici cum ſis, Normanni & ſanguinis hæres,
    Ius regni ſummum quis neget eſſe tuum?

Heu multum amisit mea gens, cum amisit Elisam:
Sed minus amissum, te veniente, putat.
Vnus eras, tantum qui compensare dolorem,
Qui Elisam poteras reddere, solus eras.
Anglia, quæ fœlix illa regnante fuisset,
Per te itidem fœlix & magis esse cupit.
Scotia te genuit, suscepit at Anglia Regem:
Illa citò, at sero hæc ad sua sceptra vocat.
Vtraq; per te fausta satis, iuncta vtraq; per te:
*Non disiuncta iterum regna futura duo.*
Euge Britanniaci spes summa & gloria regni,
Quantus es? & tecum gaudia quanta trahis?
Si vel vota potes, vel spes æquare tuorum,
Æquabunt regnum secula nulla tuum.

Britannia, [a] olim laude gemmarum inclyta
In te, Iacobe, renovat antiquum decus.
Te Margarita gemina gemmarum optimam
Ad Anglicani peperit ornatum Throni.
Nam [b] Margarita Regis Henrici soror,
Proauo Iacobo nupta te hæredem dedit.
Te [c] Margarita neptis Edmundi Anglici
(Qui sceptrum hoc annis [d] retro sexcentis propè
Olim regebat, ante Normannos) suam
Sobolem fatetur, iusq; sibi quicquid fuit
Iam restitutum per tuos fasces videt.
Te Margarita hæc bina bis charum facit:
Sed Margarita innata pretiosum magis:
Mens nempe, quæ te Altissimo charum Deo,
Dignum Coronæ, subditis gratum facit.
Quis, (mentis expers nisi sit, & frontem exuat)
Gemmas Britannis nasci, & ingentes neget?

[a] Bed. Eccl. Hist Gentis Angl. l. 1. c. 1
[b] Marg Regis Henr. 8. soror nupsit Iacob 4. R. Scotię proavo huius.
[c] Mar. Edm. Ferreũ-latus dicti ex Edw. Clito. filio neptis nupsit Malcolmo Cãmoro R. Scotię, apud quorũ heredes ius Reg. Angl. à Norman. erepti vsq; ad presentẽ diem mãsit
[d] An. Ch. 1016.

*Io. Lee Ioannensis, sac. Theo. Bacc.*

ANglia dum largos lachrymarum parturit imbres
Occasum lugens, Elisabetha, tuum:

Dis-

Dispellit nubes Deus has, oriente Britannis
Sole novo, & luctum gaudia magna premunt.
Factus es, vt regno, sic & virtutibus hæres.
Inq; novo, vivit mortua, rege, dea.
Sic tu (cùm multos regnandi impleveris annos
Cessurus natis regna *Iacobe*, tui :)
Perpetuâ hæredum vivas virtute; priorem
Destituat lachrymis posterioris Amor.

*Fran. Sydney in Artibus Mag. ex Æde Christi.*

DIviso imperio nuper, parebat vtrinq;
Insula multa Anglis, Insula multa tibi;
Anglia sed postquam tua iura, Iacobe, recepit,
Omnes tutelæ tradidit illa tuæ:
Iamq; novus medijs resides Neptunus in vndis,
Oceanusq; tuis militat auspicijs.

*Henricus Bellingham Art. Mag. Novi Collegij socius.*

EN tandem sperata dies, optataq; venit.
Sperata Hispanis, hæreticisq; diu.
Quam precibus, diris, vi, proditione, dolisq;,
Conati infandis accelerare modis.
Occidit illa anima, Anglorum lux, gloria, Elisa
Occidit, æternum vivere digna fuit.
Occidit Anglorum Phœnix; Lætamini? At eius
Phœnicem cinis, & busta dedêre novum.
Vos expectastis, sceptra hæc Isabella teneret,
Angliaq; Austriaco cederet alma Duci?
Dum deflagrarent bellis civilibus Angli
De Rege incerti, sollicitiq; suo.
Aut promissa iterum Mariani tempora Regni,
Anglia cum Papæ colla premenda daret.
Fallimini, spesq; hospitio excepistis inanes,
Impiaq; in ventos vota abiêre leves.

Succes-

Succeffit Rex Reginæ, Iacobus Elifæ,
Mutatur fexus, Cætera Elifa manet.

*Nic. Langforde ex Æde Christi*

IAM fcio nec fallit communis regula vulgi:
Sæpe nitet pulfâ nube ferena dies.
Sic tempeftates placidum mare, nubila Phœbus,
Mœroremq; folent gaudia læta fequi.
Nuper enim, trifti Reginæ territa letho,
Plorauit madidis Anglia mœfta genis,
At nunc pro facco foccum, pro funere ludos,
Pro lachrymis rifum plebs ftupefacta videt,
Et geftit, lætos Regis celebrare triumphos,
Princeps Iacobus viuat vbiq; canens.
O Deus vt mœftæ reuocafti gaudia gentis,
Cum fpes labenti, nulla falutis erat,
Perge precor noftris folamina reddere terris,
Relligio maneat, pax, pia, longa quies.

*Samfon Neuton Magift. Art. e*
*Collegio Magdal.*

SOrdida Mufarum facies obduxerat ædes,
Quas colimus, mœftus læferat ora timor
Noftra recens noftras cùm perveniffet ad aures
Fama tuæ (Princeps Elifabetha) necis.
Alta manu ftabili cepifti fceptra Sororis;
Ex quo cepifti, luftra fuêre novem,
Tanto nos fpacio nihil vnquam læfit iniqui;
Continuam pacem fenfimus, atq; piam.
Te, vitam noftram, quis non lachrymârit, ademptam,
Qui fuerit puræ relligionis amans,
Turba facerdotum mendax, falfiq; Suitæ,
Qui malè Romanum fertis in aftra jugum,
Quid vos Reginam tantam necuiffe veneno
Tentaftis toties? illita tela dolis.
Quidve paraftis? an ifta placent molimina Papæ?

Vt

Vt placeant illi, non placuisse Deo
Constat: quippe sibi Deus hunc asseruat honorem,
Transferat vt re[.]i debita sceptra suo.
Debita sceptra tibi dedit, ô Iacobe, potenti
Frangere qui possis corda superba manu,
Quæ nimio fœdam studio Babylona sequuntur,
Quæq; tuam sobolem perdere, sancta Sion,
Discupiunt; vt vera Dei neglecta labascat
Religio, Christi sordeat atq; fides.
Hoc te facturum (Rex invictissime) suadet
Scotia, nonnullis legibus alta tuis.
Vive pater patrię, fidei Defensor; honestis
Legibus ecce tuis subdita colla damus.

*Sebastianus Benfeld Somatochristianus.*
*Sacræ Theol. Bach.*

*In bina nuncia, et mediatoris Christi; et Regis Iacobi eodem Festo Annunciationis promulgata.*

NVNCIA cœlestis cùm aderant celebranda salutis,
Nuncius excelsi quæ tulit alma Dej:
Nuncia tum augusti venerunt læta Iacobi,
Nunciat Angligenûm quem vaga fama Ducem.
Nuncia grata viris; hęc corporis, illaq; mentis,
Nuncia dona Dej, nuncia digna Deo.
Nuncia fausta Dies, albo est signanda lapillo,
Nuncia quæ nobis vtraq; læta tulit.

*Fran. Bradshew Magdalen. in Sacra Theol. Baccch.*

EN Musis vindex, pupillis tutor egenis
En pius, en clemens sontibus, arrha bonis.
In te (magne etenim spes est sita magna Iacobe)
Seu fungare foris munere, siue domi,
Vt faueas Musis; Musis quid gratius vnquam
Accidit Oxonijs? filius arte dei est.

Transtulit in nostram Davidis carmina linguam,
Et multâ multos edidit arte libros.
Nec morietur opus tersum ἄωρον βασιλεῖον,
O decus, ô nostri grata quies animi.
Lividus & rumpat solito si Zoilus ore,
Sæpiùs vt videat, sæpiùs invideat.

*Guli. Osbernus in Artibus Magister*
*Socius Coll. omnium Animarum*

SAlve illustre jubar, nostrum: ter maxime princeps
Angliadum; auspicijs sceptra capesse bonis.
Auspicio fines læto sic finibus addas
Regni: sic faveant orbis & vrbis amor.
Nunc tribus Anglorum quartum superadde Leonem:
Fortius vt iunctis robur inesse queat.
Iuvernæq; Lyræ, Gallorum Lilia jungas.
Hæc sunt Imperij singula Signa tui.
Sic Leo, blanda Chelys, sic Lilia læta, Leones
Trini; iam quatuor sceptra tulere tibi.

*Vaticinij interpretatio Lipsiani quod in fine scripsit*
*Cap. 16. Lib. 1. de Constantia.*

VIdit ab occiduo surgentem littore solem
Lipsius imperij (sed quasi nube) noui.
Fallor ait, vel erit quidam: quis? nescio. Summum
Sed dabit Oceanus (mens nisi læva) Ducem.
Vera refers Lipsi tu Belga propheta: Videmus
Quem vis Occiduis gentibus esse Caput.
Iam micat orbe jubar, tua quod Constantia narrat;
Et patet augurij cæca latebra tui.
Hic Iacobus is est tot regum certa propago;
Maior avis; reliquis maior in orbe viget.
Ora Caledoniæ cui servit; Hybernaq; tellus:
Anglia quem Dominum gestit et esse suum.

Ec-

Ecquid adhuc dubitas?Ergo dic (Iuste) quis alter
Ille futurus erit, quem nova fata volunt.
Nemo futurus erit sceptris illustrior. At si
Singula perpendas, ille futurus erit,
Qui sortem superat virtutibus; arte Camænas;
Marte omnes; morum nobilitate genus.
Ergo diu viuas Rex nobis; gloria musis;
Lex tibi, Lux alijs; omnibus vna salus.
Sub te prisca fides, pietas, Ecclesia crescent;
A te quassa iterum Roma superba ruet.
Omnes Christicôlum gentes tua castra sequentur,
Quàq; oritur Titan, quàque remergit equos.
Vt cuncti videant illum regnare Monarcham,
De quo vatidicus Lipsius augur erat.

*Guil. Helme Exoniensis Coll. Socij*
*Artium Magist.*

DIC mihi Musa virum, Divæ post fata serenæ,
Qui tot Regnorum felices captat habenas,
Anglorumq; gerit sacrata fronte coronam:
Quem Deus, & Patriæ leges, & Stemmata clarum
Proclamant Regem; quem Recti conscius Orbis,
Quem Pax, consilium supra mortale, sequuta,
Sanctus Amor populi, Pietas, & Palladis Artes,
Pectoris invicti Robur, Prudentia Cordis
Regia, quem solum Divina Humanaq; dignum
Imperio censent celsaq; in sede locarunt,
Dic mihi Musa Virum; *Regem* dic Musa *Iacobum*.

*Laur. Humfredus Art. Magist.*
*Coll. Magd.*

IInsipiens in corde suo, non est Deus, inquit;
At vox Insipientis erat. Concessit Elisa
Fatis, & superas fælix migrauit ad Aulas.
Insipiens in corde suo: Non amplius Anglis
Rex est, Imperij nullus dignoscitur Hæres.

Et

Et vox Insipientis erat. Confide Iacobe,
Magne Britannorum Princeps, Possessor, et Hæres.
Nam certò in cœlis Deus est, qui ridet ineptas
Insanasq; hominum voces, solioq; locavit
Te rex summe tuo. Deus ô Sanctissime serva
Regem divini cultorem Numinis æquum,
Æternum serva, serus cœlumq; revisat.

*Rich. Love Mag. Art. è Colleg. Magd.*

*Anglia mærens.*

ANGLIA mœstitiæ scrutis induta, theatrum
Quale dabit terris? ô lamentabile regnum!
O dolor attonitæ plebis! micat ara favillis
Quæ dubias torquent discordi lumine mentes.
O syncera fides, divini flaminis ardor!
O pacis studiosa cohors, pietatis alumna!
O magni Proceres, quorum metuenda potestas,
Gloria Mavortis iusti, generosa propâgo!
Cernitis vt vestri dudum fulcimen honoris,
Terrarum, *Princeps Elisa* reliquerit orbem?
Eximij luctus protasis tristissima fugit,
Venit & ingenti violenta tragœdia passu.
Vipeream nutrit sobolem Romanus aruspex,
Quæ passim insanæ mentis nova dogmata spargit;
Ignibus externis vestras vt polluat aras.
Austriacæ gentis ductor, qui Marte lacessit
Belgas, purpuream mutans pro cassi de mitram
Militat, vt vestrâ tandem dominetur in Aulâ.
Imminet exitio vestro terraq; mariq;
Audaci toties bello superatus Iberus.
Totus inest armis, vltricem præparat ensem,
Instruit et naves: tragicos augere dolores,
Non tantùm spectare cupit; nè scena cruore
Libera puniceo concordi pace fruatur.

*Anglia Sperans.*

ERgonè deiectos vultus formidinis vmbrâ
Gens animosa feret? crepitacula vana timetis?
Fallitur augurium Romani vatis,& exta
Pinguia delirant,quæ murmura falsa dederunt.
Fallitur Austriacus miles;falluntur Iberi:
Omina Paparum concordia vestra fefellit.
Ponant,proponant feralia damna:quid indè?
Singula disponit, terras qui spectat ab alto,
*Rex regum Dominus* fasces & sceptra gubernat.
Melpomenen tristem pepulit,tragicosq; timores
Arcuit, & grand es luctus in gaudia vertit.

*Anglia triumphans,*

CErnitis,vt *Magno* diademata trina *Iacobo*
Debita reddiderit;nostram sine sanguine pacem
Auxerit; illæsamq; fidem servaverit aris?
O *Christi* piet as! qualis mutatio nobis
Illuxit,quam nulla dies,quam nulla vetustas
Obruet. Eiusdem fidei pro *Numine Numen*
Sanguinis eiusdem,servati Ποιμένα λαῶ
Dextra Dei posuit. *Rex* maxime,gloria Regis
Fatidici;bellè novit tua sacra potestas
Quàm fuerit passim,memorabile nomen *Elisæ*:
Hanc superes,qui nunc superes successor honoris.
Esto pater pacis patriæ; felicibus actis,
Corpore,mente, pijs votis,virtutibus,annis,
Iure, magistratu,tabulis,sanctisq; prophetis,
Milite,classe,scholis,submissa plebe,senatu
Prudenti,templis sacratis, præsule docto,
Quattuor imperijs felix, sis *Coniuge* felix,
*Natis Natorum* felix,per secula,felix.

Richardus Ballè Coll. Magd.
Art. Mag.

Ἀναγραμματισμὸς veri luctus, ob mortem Divæ Elizabethæ Reginæ Angliæ &c. præventi auspicatiss. successione Illustriss. Regis Iacobi Primi, duobus hemistichijs Propheticis expressa.

LUx orta est justis: ✳ tenebræ *quoq;* lumina fiūt
*Psalm.* 97.11. & 112.4. ✳ *Esaias* 58.10.

*In, mortem Reginæ, & successionem Regis; Distichon.*

MAgnum Numen adest! terras Astræa reliquit;
Iustitiæ in terris vincula firma manent.

*Alumni Coll. Ædis Christi Oxon. ad Regem Iacobum Fundatorem & Patronum suum.*

ORba suâ Dominâ, luctus squalore iacebat
Obsita nostra domus (*Patrui* fūdamina *Magni*,
Imperfecta licet, *Patruo* dignissima *vestro*)
Nosq; domus, miseri visi, infelicis, alumni,
Amissam lachrymis, & tristi voce *Patronam*
Prosequimur: nobis vitam dedit *Illa* superstes.
Gaudia compensant lachrymas; subitoq; beati
*Te Regem* simul accipimus, nostrumq; *Patronum*,
Regibus innumeris Atauis oriunde *Iacobe:*
Tu superas damnum meritis, reparasq; ruinam.
Ecce nouam video pacem, florente coronâ,
Ire per Anglorum terras: & libera Papæ
Colla iugo pietas, levat; æternúmq; levabit,
Irrita Papalis ridens præsagia turbæ.
Incipe ter felix, ter fausto sydere Regnum,
*Chara Deûm soboles*; nunc tota potentia curis
Regni vtriusq; *Tuis*, datur; & cervice recumbit
Vtraq; *Maiestas*, geminæq; exercitus *Aula*.
Gestit læta *Tuas* tota Anglia dicere laudes:
Parnassusq; sui noster propiore calescens
Luce *Dei*, soluit totas in carmina lymphas:

Mu-

Musarumq; choros, *Phœbo*; pietatis alumnos,
*Tutori fidei*; votis commendat avaris.

*In coniunctionem Insignium Scotiæ & Angliæ.*

R*Ubrum*, cum triplici *fulvo*, coniunge *Leonem*;
Diversas *Atavus* iunxerat ante *Rosas*.
Maius opus varios, sine pugnâ, vnire *Leones*:
Sanguine, diversas quàm sociasse *Rosas*.

A Scotis, Cæsar muro discriminat Anglos:
(Impar Imperio Cæsar vtriq; fuit)
Rudera fit murus: Tibi tota Britannia servit,
Agnoscit primùm, Regnum Iacobe Tuum.
Nunc Tellus communis erit, cunctosq; *Britannos*
(Æmula si tollas nomina) iure voces.

V*Nica* nuper *Avis*, fæcundâ morte reformat
Insolito, sexus partum vtriusq;, modo.
*Rex magne* ornabis multis *Phœnicibus* Anglos;
Connubio *Sophia* filia iuncta *Tibi* est.

Affulsit nuper (propria sed luce) *Diana*,
At nunc Maiori fulget *Apollo* face.

*In Festum Annunciationis quo die primùm Iacobus Rex enunciatus fuit Oxoniæ. Ad Regem.*

COnceptum primùm quo concelebramus Iesum,
*Te* Oxoniæ *Regem* nunciat ille dies.
Concepere novè, tum Christum corde fideles,
Exoriturq; tuâ cum face vera fides.
*Vestrum*, cum *Domini* currat felicitèr *anno*,
*Regnum*: et cœlestem, sed pete serò domum.

*De Leonis effigie eadem tempore, paulo ante Iacobum enunciatum Regem Angliæ &c. in nubibus, Septentrionem versus apparente, pluribus aspicientibus.*

CErtum est: & nubes venturi præscia fati
Signa tenent, varias imitantes sæpe figuras.
Sic Constantino victoria contigit; antè,
Quam Christi, aëreis, crux nuntia, nubibus offert.
Vidi ego (nec mentem mea fallunt vota, *beatum*,
Principis extinctæ vice, suspirantia *Regem)*
Vidi illoq; die, quo nuntia grata *Mariæ*
Angelus attulerat, medij post tempora solis,
Erectum Arctoâ surgentem nube leonem.
Hæsit in effigie mens; (nec sine teste) statimq;
Illa vt materiæ vitio disparuit, ecce
*Norricius* venit illustri comitante catervâ,
Et Regem mediâ proclamat in vrbe *Iacobum*:
Scilicet Arctoj interpres fuit ille Leonis,
Sylva Caledoniâ, quem nobis parturit, orâ.
Psal. 19. 1. Exprimit æterni fornix cœlestis honorem
Artificis, sed vate opus est interprete docto;
Abdita qui summi legat hæc elementa Iehovæ.
Hoc duplici officio festum celebrabimus, antè
*Christum* in carne dedit, nunc sancto *Rege* beavit;
Iunctaq; perpetui memorabunt nomina fasti.
*Inclyte*, qui magnum geris alto corde *Leonem*,
*Vive diu*, Regnisq; *Tuis* feliciter adsis:
Æternúmq; dato, verâ pietate, fideq;
Samson Syncera, atq; dato dulci cum pace, quietè
Iudicum 14. Posse frui; Ducis & solves ænigmata *fortis*.

*In Furias Domini du Bartas*
*A Rege Scotè redditas;*
*Anagramma.*

*IACOBVS STEVARTVS.*
Hesiod. l. 1. *VIVè, SCOTVS BARTAS.*

τῶν ἔργων καὶ ἡμερῶν.

DEpingit *VIVè BARTAS* Epimethea, *vivè*
Pandoræ miseras pixidis vmbrat opes:

*Vivè* doctum imitaris opus; nec gratia *Secta*
Prima deest tabulæ, symmetriæve decor.
Sis *VIVè SCOTVS BARTAS*: sed iure figuræ
Maiestas *Vestra* ( *Rex pie*) maior adest.

PLato, beatas tum fore prædicat
Respublicas, si Philosophari ament
*Reges*, vel ipsi si supremum
*Philosophi* regimen gubernent.
Et *Rex*, & Anglos *Philosophus* regit:
Parnassus in quem divitias simul
Prodegit omnes. Et negabis
Angligenûm patriam *beatam*?
O ter beatos (vox melior sonat)
Diviniori quos, sapientiæ
Princeps gubernat, dedicatus:
Philosophum *hæc* latuit vel ipsum.
*Rex & Propheta*, es: *Rex* rege *subditos*,
*Propheta sanctos*. Invideat tibi
Vtrumq; quamvis Papa, *Regnum*,
Atq; bonis Iacobe nostris.
Rumpantur illi viscera, qui tuæ
Vitæ imprecatur, quæ noceant, mala.
Nos (apprecati rite primum, vt
*Te* incolumem faciat, Iehovam)
Queîs *Te*, iucunda est vita, superstite
Contrâ, iniucunda est; carminibus *Tuas*
Laudes sonamus: prosperumq;
Imperium *Tibi* gratulamur.
Et ipse, vates sim Lyricos licèt
Extremus inter, carminibus tamen
*Iacobum* & *Annam*, spemq; nostram
Suspiciam, *Sophiæ Nepotes*.

Prov. 28. & 20. 2. Cor. 2. 11.

QUò magis ad Boream Phæbus deflexerit ortum;
Hòc, longioris copiam lucis facit.
Dicite, sublimi qui cœlum mente notatis,
Et qui labores syderum eruitis vagos,
Occasumnè petet *Sol* ipsâ oriturus in Arcto?
Beabit Anglos, imò, perpetuo die.

Sic *Lyra* inocciduis emergens *Orphea* flammis;
Non tingit vndis Tethyos doctum iubar.

*Edoardus Iames ex Æde Christi Oxon. in Artibus Magist.*

CÆsareos fasces, motæq; pericula Romæ,
Materiam scripti, non nisi Cæsar habet:
Quæq. tuas æquet (Princeps ter maxime) laudes,
Non opus est humili pectore musa fluat.
Pectus Apollineum, præcordiaq; Enthea res hæc
Postulat, ac *FVRIAS* (magne Iacobe) tuas.
Deme tuis igitur, nostrisq; *FVRORIBVS* adde,
Vt furat afflatu sobria musa tuo.
Sic tibi te dignos forsan modulabimur hymnos;
Quiq, furit tecum, cum ratione furet.

*Ad eundem Ode.*

NON vsitato, non humili gradu,
Mollive plantâ nunc libet ingredi:
Nil semi-paganus, pedestri
Ore loqui cuperem, poëta.
Olim sategi ludere: quàm velim
Nunc insuetis ire volatibus,
Tuisve Bartasi levatus
Alitibus, celebrisvè Taffi.
Pæana festum quis mihi suggeret
Dignum Poetæ-Principis auribus;
Dignum triumphis, teq; , avito
In solio posito, Iacobe?
Scotos ab Anglis, non pelagi furor,
Non constitutus Terminus abscidit:
Non fossa, non prærupta vastis
Petra frequens variata clivis:
Sors vna bini distulit imperî;
Paresq;, sceptrum reddidit impares;
Vtrinq; convenere vterq;,
Rege pari, pariliq; lege.

Di-

Divisa lites sceptra creaverant,
Dum Scotus Anglos finitimos timet,
Timendus Anglis: Cessat hæc lis,
Inq; suo coëunt Iacobo.
Iniuriarum sit modus; hic sacer
*IMPVNE NEMO*, Terminus. O mei
Nolite, conciues, nefandâ
Cæde pias scelerare dextras.
Cessent & iræ; Legibus Atticis
Sancita nobis constet *ἀμνηστίας*
Gaudete communi sodales
Nomine, amicitia, Britanni.
Num non Britannũ nomen, & hospitę
Prædulce limen vos iuvat Angliæ?
Vestros nè fines extulisse,
Et Tamisin sociasse Tuedæ?
At nos receptis hospitibus novis
Gratamur omnes; Credite, credite:
Credetis, experti Britannos,
Resq; fidem faciet loquenti.
Nil nos Elisâ sospite charius,
Charum vel æquè duximus; occidit
Elisa; nunc terrestre quidvis
Ducimus inferius Iacobo.
Te, te, futuri gloria sæculi,
Mundiq; lumen clarius Arctici,
Optamus, invitamus omnes,
Vtq; citus venias, precamur.
Nunc, dum moraris, teq; in amoribus
Invita mittens Scotia detinet,
Dum mutat amplexus, tuumq;
Pars thalami premit Alma collũ,
Quid nos? timores dicere pristinos
Gestimus, & spe ludere proximâ,
Conferre curas, Quas fuisset
Triste pati, meminisse dulce est.
Gratum est pavores, dicere publicos,
Plebem *inquietam*, sollicitos Patres,

Referre formidata mœstis
Coniugibus, puerisq; bella.
Sed gaudiorum quis modus interim?
Quæ cantionum copia? Quàm sui
Exultat impos, inq; formas
Lætitia innumeras abiuit?
Hic Te recenset, (Maxime Principum)
Magniq; dotes pectoris excutit,
Artesq; sacras, Bimulumq;
Fræna gravis populi tenentem.
Huic Dia coniux, gloria Sarmatis,
(Quacunq; præceps Danubius fluit)
Sermonis ansa est; liberiq;
Digna suis Atavis Propago.
At turba multò maxima, seriò
In hoc triumphat, quod Deus integrè
A te colatur, quodq; per te
Relligio, & Pietas vigebunt.
Hæc te coronat laurea, basis hæc,
Fulcrumq; sceptri, & gloria regij;
His tutus armis, & superbos
Romulidas, Satanamq; temnes.
Adblandiatur, dum libeat, sibi,
Sperare quidu s proditor impotens,
*VVestonus* hinc, *Parsonus* illinc,
Hispalicæ parasitus Aulæ:
Te nota virtus, Te pietas tua
Longùm Anglicano constituent Throno,
Multâq; maturum senectâ
Elisiæ referent Elisæ.
Hæc nostra (Princeps Optime) nænia,
Ingrata sic nos tempora fallimus,
Absente te: Festina, vt oris
Grata dies redeat Britannis.

*Gulielmus Ballow Art. Mag.*
*ex Æde Christi.*

REgum (quàm iuvat hoc nomen) celeberrime, Princeps
Auguſte Albionis, Cæſar, divina propago,
Ad tua, quę tua ſunt, (*SPERANS MELIORA,*) nec illa
Digna ſatis tanta Virtute, & Numine tanto
Veniſti, atq; animos (Deus alter) ad omnia tecum
(Sic decuit,) placidi rapuiſti gaudia regni.
Anglia nata tibi eſt, (vtinam tibi grata,) ſed ipſam
Europam meditare, & ad Alpes tende ſuperbas,
Pontificis ſacrum debellature furorem.
Quam pulchrè Auſoniam decorabit imagine verâ
Arctôi ſolis ſplendor, (res mira) ſed ipſum
Exuperes radijs, ([illegible]te ad miracu[illegible]a,) Phœbum.

LApſa eſt ſt[illegible], Planeta micat, Luna occidit, eccum,
Sol oritur noſtro placidè ſpectabilis Orbi,
Phœnix Phœnicem dedit, Eliſabetha Iacobum,

PRO te ſylva viret, pro te ſeges alma reſurgit,
Terra parit, floris luxurioſa ſui.
Ver erit æternum, Rex Martius imperat, ipſum
Menſis, Mens, Mavors hoc celebrâre ſtylo.

INfantam cape Cardinalis olim,
Hæredem, teneram, ſpeiq; neptem:
Vrbes non capis, (ô beate Princeps.)
O *Infanta* tuum tuis corones
Albertum proprijs, beeſq; regnis,
Rex Hiſpane, tuum, (precamur) illis
Regnum participes, breviq; fiat:
Affines alere (ô Philippe) ſanctum eſt.
Iam *PIGNUS* ſuperûm, Iubar Deorum,
Aſpectu videt Angliam benigno,
Æternumq; regat; ſub eius vmbra,
Vates perpetuâ canent Minervâ,
Vmbras quid loquor? vniverſa lux eſt.

(NEptune, vaſti magne dominator maris)
Emerge, ruptis aggerum clauſtris Deus,

Ventos cöerce, cede terreno Iovi,
Qui solus ipsi statuet Oceano modum,
Alto daturus vela PLVS VLTRA, salo,
Quaterna sceptro regna moderatus pio,
Cæsar Britannus, plurimus Divûm favor.

Innumeri Vates regi cecinere Davidi,
Ipse suo cecinit Rex meliora choro.
Nos canimus Regi (gaudens Academia) nostro,
Ipse animæ cecinit Rex meliora suæ.
Quod superest, nostro Regem superemus amore;
Si dubitet: Quæ sunt carmina, sanguis erunt.

*Tho. Storer Magist. Art. ex Æde Christi.*

DIva, nisi hæc sacris ætas non æqua Camœnis,
Non æquam iustis teq; facit precibus;
Cinge caput viridi, redivivâ cingito Lauro,
Tende diu residis fila relicta Lyræ.
Lux sacra diluxit, nostris accersita votis,
Et tandem optatum protulit ecce iubar;
Qua nova regnanti nascuntur sêcla IACOBO,
Sêcla Sibillinis dicta voluminibus.
Hic sua neglectis reddet modò præmia Musis,
Aonidum ratum perpetuumq; decus.
Dicamus bona verba, pios celebremus honores,
Concinat & lætæ lingua sonora Cheli
*FORTVNATE DIES ET LVCE BEATIOR OMNI,*
*TV NOS IN SOLIDA PROSPERITATE LOCAS.*

Quod si non alium venturo fata IACOBO
Præscripsere modum, nisi quum maturior annis
Cœlo digna, petat cœlum, cœlestis Elisa;
Inviti fateor (cœlum testamur & astra)
Linquimus Astræam hanc, Regno meliore receptam.
Haud tamen inviti (cœlum testamur & astra)
Astrææ in solio te (Magne IACOBE) repostum
Conspicimus, solio solus qui dignus es isto.

Ergo

Ergo polum secura petas, maturior annis,
Cœlo digna, recepta polo, cœlestis Elisa,
Dum Astreę in solio te (Magne IACOBE) repostum
Conspicimus, solio dignus qui solus es isto.

*Guil. Ralighe, Coll. omnium animarum socius.*

SEgnius admittunt, *Princeps Lectissime*, curas
Pectora nostra duas: prius & mens ægra, vacillat
Intercepta novo vix sperandoq; triumpho.
Difficile est vno planctum plausumq; tenore
Fundere, tam varios non mens capit vna tumultus.
Poscimus idcirco veniam, *Rex inclyte*, si quas
Postulat officium, Defunctæ Principis vmbræ
Solvamus lachrymas, paulùm & tua iura moremur:
Te petimus veniam dia *Elisabetha* vicissim,
Si minùs attonitos tua mors nunc perculit, ecce
Singultus luctumq; iubet cessare *Iacobus*,
Gaudia qui nobis affert pacemq; perennem.
Lætitia exturbat lachrymas, syncera voluptas
Pectora perfudit; Piceæ pacalis oliva,
Et laurus taxo successit, palma cupresso.
Euge potens Princeps qui *Scotica* sceptra *Britanno*
Imperio socians, diademata trina capessis:
Per te maceries, nostra hæc divortia quondam
Quæ fecit, dirupta iacet; festoq; Hymenæo
*Tweda* maritales *Tillo* commiscuit vndas.
*Anglus* in amplexum *Scoti* ruit; ille vicissim
Expassis vlnis venientem prensat amicum,
Et sibi congenerem civem fratremq; salutat,
Halcyonumq; dies te Principe spondet vterq;.
Et merito: Siluēre tubæ, nec bella minatur
Infestis Aquilis externis miles in armis.
Te (quem circumstans stipat *Deus* ipse satelles)
*Pax* & *Prosperitas* semper comitantur euntem,
Te circumvolitat niveis *victoria* pennis,
Atq; tuas pompas *Opulentia* multa sequetur.
Ergo tuum quartum nostris adiunge *Leonem*

Hisq;

Hisq; triumphalis currus provectus, *Elisæ*
Te ferat in vacuum Solium sellamq; Curulem,
Quam tibi Ius, Superûm favor, & tua fata reservant.
Hanc preme *Iustitiæ* fultus *Fideiq;* lacertis,
E quibus illa homines, Superos hæc reddet amicos.
Sic poteris populos pacataq; sceptra tueri,
Exornare bonos, hostes frænare rebelles.
Nec tibi deficiet soboles quæ regna gubernet.

IAQVES *grand Roy, ô surgeon de la souche*
*De feu la* Roine, *& fleuron de la* Rose,
*Nourrisson des Muses, cil qui ce siecle couche,*
*Au rang des plus sçavans en vers & prose:*
*Esgaie toy beau Sire, toy du ciel esleu*
*Pour porter des Anglois le sceptre emperlé;*
*Et si cecy encore te semblera bien peu,*
*Du Diadem'* d'Irlande *tu iras ghirlandé,*
*Monte dessus les croupes de l'* Escosse,
*Oeillade de loing ce plantureux terroir,*
*Iadis forclos d'vn boulevert & fosse,*
*Ores conioint par toy des deux vray Hoir.*
*Tu trouveras icy, vn verger parsemé*
*De riches villes, de belles, & plaisantes,*
*Et peuple fourmillant en chasque tienn' cité,*
*Tant que la greve sur les rives beantes.*
*Tu verras cy serpentir mainte fleuve,*
*Aunant' les arpents des plaines esmailleés,*
*La* Tamise *orgueilleuse qui tes palais abbreuve,*
*Nagée de Cygnes & bandes escailleés.*
*Bref,* Prince *glorieux, & parangon des Roys,*
*Tu trouveras icy* Bonne terre, bonne gent,
*Qui craignant le vray Dieu, revererà tes Loys,*
*Ce qui te rendra fort redoutable & puissant.*
*Sus donc; empare toy de ta belle couronne,*
*Vien chasser nos ennuys par ta douce presence,*
*Le Printemps est venu, & chasque fleur bourgeonne,*
*Fay que tes* Roses *aussy reprennent leur naissance.*

Ioh. Sanfordus Magist. Art. è Coll. Magd.

ET fidos animos, generosaq; corda, Leones,
Et si quid Florum Gallia dives habet;
Terra Britanna tibi victricia signa, Iacobe
Tradidit, imperio signa regenda tuo.
Quid non debetur tantis virtutibus? vna
Non est tot meritis digna Corona satis.
Frons tua iam triplici Diademate cingitur; vnus
Hæc Tria perpetuet regna, tegatq; Deus.

*Iohannes Hodges, artium Magister*
*socius Coll. Lincoln.*

*De Nuncio mæstissimo simul & letissimo quo Elisabetha mortua nunciata, & Rex Angliæ renunciatus Iacobus Potentissimus, Doctiss. Optimus.*

Æterno celebrem gemitu sacra funera *Elisa*,
Gaudio an Imperium, *Dic Iacobe*, tuum?
Planctum illi, ecce, lito; lachrymas tua Gaudia siccant:
Gaudia libo tibi; fletibus *Illa* rigat.
Gaudia (nàm dubium est,) cedent, an corde Dolores?
Tu potiùs nostro pectore cede Dolor.
Cede Dolor, sævusq; petas inimica *Iacobo*
Pectora, queis nunquam cede, sed vsq; sede.
Sic voluit Numen: tibi cessit *Elisa, Iacobe*;
Lætitijsq;, eius cedito Cura, tuis.

Ἐκ σκότους φῶς. 2.*Cor*.4.6.

Clara Dies fuerat; subitò heu *Sol* occidit *Anglis*:
Quid nisi Noctis erat tetra timenda lues?
Eia, Iö, orbe novus surgit *Sol Aureus Anglis*:
Sic mediâ bini sunt sine Nocte Dies.
Iamq; mihi est verax *Tacitus*, (non, ante;) *Britannos*
Sole frui æterno, Nocte carere, ferens.
Salve ô *lux Anglûm*, *vates*, vatumq; *Patrone*:
Te verè *Phœbo* gens ovat *Angla* suo.

*Prin-*

PRincipe iam abreptâ, Solem raptum esse queruntur:
Rapta quidem *Phœbe*; *Phœbus* at ipse micat.
*Cynthia* (quid si clara?) abijt: sed *Sole Iacobo*
Exorto, spondet clarior ire Dies.
Clarior ito Dies; sed quo hunc fas cernere Solem,
Non vllus poterit clarior ire Dies.

FÆX *Ponti*, *Italicam* sectam post funus *Elisæ*,
Regem sperabat posse creare novum.
Nec frustrà; abreptâ *Reginâ*, en *Anglia* regem,
Secta *Iacobinûm* tota refecta, creat.
Ense *Iacobinûm* occubuisti *Galle*; sed *Angle*,
Ense *Iacobinûm*, tu *Leo*, tutus eris.

ITalici cecinere *Patres*, mutatio (*Elisæ*
Post fatum,) Angligenis quanta timenda fuit.
Ecce diem, *Elisijs* quæ dijs addixit *Elisam*!
Gaudia *Papicolûm*; *Christicolûmq́;* Dolor.
Mox Regem *Angligena* te, *Carle-Iacobe*, salutant:
Gaudia *Christicolûm*; *Papicolûmq́;* Dolor.
Mira, scio, est istlhæc mutatio: quin ita mira,
*Italici* vt stupeant, qui cecinere, *Patres*.

*De meteoro, nocte qua Diva calos petijt, conspicuo, supra Quadrivium Oxon, quo postea loco Rex solenni Purpuratorum conventu renunciatus.*

FVdit *Elisa* animam quâ Nocte Beata potentem,
Purpureo facies mersa rubore Poli.
Quis non tùm tremuit? Lux en venit altera; eodem
Purpureus *Patrum* convenit *Ordo* loco.
*Anglo-Caledonum* lituo resonante salutant
Regem: hunc vox populi, vôx resonatq; Poli.
Quis non tum exilijt? credo, Polus ipse rubendo,
Purpurea hæc Patrum syrmata præcinuit.
Et Polus ipse novo lætatus *Rege Iacobo*,
Vnà purpureo syrmate cinctus erat.

*Va-*

*Vaticinia contraria, Anglis & Scotis longa-
vâ fide excepta.*

Dissona fatidicûm traxit sententia vatum
Spem longam in dubium, *Scote, Britoq́;* tuam.
Præcinuit *Scotus*, multùm indignante *Britanno*;
*Anglica Scotigena* subfore regna Duci.
Sed *Scoto* contrà cecinit frendente, *Britannus*;
*Scotica Brutigena* subfore regna Duci.
Dissona, vera tamen; vera esse triumphat, adorans
*Scotus Brutigenam*, [a] *Bruciginamq́; Brito.*
Gens sociata Throno, sociata ô crescat Amore!
Tuq́; ô Gentis Amor, cresce *Iacobe* tuæ.

[a] Nā à Rob. Bruce Scotiç olim rege, oriūdus Iacobus, & eo nomine regnū Scotiæ tenuit familia Stuartorum.

*In Emblemata numismatis Scotiæ, &
Insignium Anglo-Hiberno-Gal-
lo-Scoticorum.*

Ære, *Iacobe*, tuo quid *Carduus* iste minatur?
Has *nulla impunis* dextra *lacessat* acus.
Esto, (sed esto tuis Inimicis,) *Carduus* asper:
Carduus at nobis tu *Benedictus* eris.
Carduus ille tuo neu crescat solus in Horto,
*Lilia*, & *Alba rosa*, & te *Rubicunda* petit.
Ergo tuum linquas patrium iam lætus [b] *Edena*;
Anglia tota tibi hic *Hortus Edenis* erit.
Gaudia *Edene* isthoc capias æterna, *Iacobe*,
Pulchraq́; filiolis, *Anna*, beata tuis.
Hùc quoq́; fessa suæ properat iam buccinæ, *Ierne*:
Mulceat vt Patriâ pectora [c] nota Lyrâ.
Et vos, iàm [d] quatuor, munite Leunculi *Edena*;
Quattuor vt vigeant libera Regna malis.
Tuq́; Iacobe, malis liber vive, & [e] *mala nectit*
*Quæ tibi, quisq́; ferat*, quæ populisq́; tuis.

[b] Vrbē Scotiæ regiam vulgò Edéburgh.
[c] Nā & Scoti Hiberniâ oriundi.
[d] Nā tribus Anglicis leunculus Scotiæ iam additus.
[e] Hony soit qui mal y pense.

De

*De Cathedra Marmoreâ Weſtmonaſterij, nobilitatâ vaticinijs Scoticis, & Regum Anglicorum inaugurationibus.*

Inſpice; quâ fulges Cathedrâ tibi fata canuntur,
  Digna legi, ô fatis digne *Iacobe* tuis.
Certa fides fatûm vatumq́;, [a] vbicunq́; locetur
  Hic lapis, vt Magnes, te quoq́; *Scote* trahit.
[b] *Niliace* hoc noſti, *Brece* hoc *Iber*, hoc & *Hiberne*
  *Farguſi*: hoc notum Scote *Kenethe* tibi.
Fruſtra [c] *Edoarde* ſtudes divertere marmore fatum;
  Ecce redux patrio pondere marmor ovat.
Tuq́; (Iacobe) redux patrio jam marmore ovato,
  Et ſuperes annis marmoris æva tuis.
Rex nate ô nobis, ſeclo ſed note priori,
  Quo nobis cecinit te lapis iſte Ducem.
Non mirum eſt læti ſi nos tibi metra canamus,
  Iſte canat lætus cùm tibi metra lapis.
Iam mihi marmor iners, vel inerti durior iſto eſt
  Marmore, qui lætus non tibi metra canit.

Marmore in hoc fertur *Patriarcha* quiêſſe *Iacobus*,
  Quùm ſcalâ Aſtricolas ire, redire, videt.
Id dubium eſt; verum hoc ſcio, quòd *Patria-archa Iacobus*
  Marmore iàm ſedet hoc; *ſed ſedet* ille vigil.
Cœlitus (Aſtricolæ) *Primo* omina ferte *Secunda*;
  *Illius*, & Populi vota referte Deo.
Pulchra *Rahel* ſextâ bis prole beato *Iacobum*;
  *Arx* eris & *Patriæ*, dum *Patriarcha* vir eſt.

Quùm *Rex* & *Vates* idem ſis, Maxime Regum,
  Quid non ſperemus, qui tua turba ſumus?
Rex Populuſq́; cluet fœlix, par quandò *Davidi*,
  *Regius* es *Vates*, Golia-cida potens.
*Regie* at iſta legens *Vates* ô ponito *Vatem*;
  Non mihi Cenſuræ lima ferenda tuæ.
Sat mihi, noſtra malo verſu, Mens non mala, ſi ſit
  Nota tibi, Angliaci *Regie Phœbe* ſoli.

*Ioh. Barchamus, è Coll. C.C. Art. Magiſt.*

[a] Hoc diſtic. olìm inſculptũ cathedræ: Ni fallat fatum, Scoti hũc quocũq; locatum Inveniẽt lapidẽ, regnare tenentur ibidem.

[b] Gathelus dicitur ex Aegypto in Hiſpaniam tẽpore Moſis, hanc cathedrã ſecũ trãſportaſſe; Brecus poſtea in Hibern. farguſius in Scotiã; vbi diſtichô inſculptum à Kenetho.

[c] Edovar. 1. traduxit è Scotia in Angliam an. 1295.

Nbio-

NObilium sanguis regum, mage nobilis ipse;
Scãde supra proavûm titulos: nimis arcta, *Iacobe*,
Scotia virtuti tantæ: cape frœna Britanni
Oceani: tuus ipse: tuum, quod fluctibus ambit:
[a] Orcada, Cornubiamq, inter [b] Rutupinaq; quicquid
Littora: [c] Hyperboreo quicquid sonat vndiq; ponto:
Quod mare Vergivium cingit: Gallæcia quicquid,
Quicquid Belga suo propior de littore cernit.
Omnia fatali domino tibi credita parent.
Aspice pandentem tibi se, votisq; vocantem,
Altricem [d] terram Heroum: quæ sidera supra
Teq; tuosq; ferat: præstantiaq; aula ministris
Instruat auxilijs: opibusq; & honore secundo
Armet: & egregias in lucem proferat artes:
Maioremq; throno, maiorem laude [e] Monarcham
Cunctis reddat avis. [f] abavus tibi maximus vltrò
Concedet: consanguineas qui iungere gentes
Aggressus, plus iusta operis tibi parte reliquit.
Illius hinc Angli felicibus, inde Britanni
Auspicijs iuncti: parili nunc tertia fato,
Auspice te, stabili se Scotia fœdere iungit.
Terrori simul externo, & civilibus armis,
Claudis vbiq; viam. furor impius intùs vterq;
Liminibus belli clausis fremit ore cruento
Horridus: & centum nodis post ferrea terga,
Arma reposta super vinctus sedet, excidit hosti
Spes inimica: leves vota abripuere procellæ.
Ipse furit: qualis tacita qui nocte reclusis
Insidias, frustra ventos perpessus & imbres,
Tentarat stabulis lupus acer & improbus ira:
Sævit in absentes (postquam custodia pernox
Impastum prædâ prohibet) cedensq; minatur
Eminùs: ignescit dolor ossibus, atraq; edendi
Ex longo rabies: dum retrò sæpe tuetur,
Balantes audire fremens sub matribus agnos.

Qualem forte bonus, sopitum frigore, pastor
Implicitum, fronde, dum colligit, inscius anguem

[a] Britanniæ figura triquetra, tribus promõtorijs, Orcadico, Cornubiensi, & Cantiano.
[b] Rutupię vrbs antiqua vnde littora Cantiana Claudianus Rutupina dixit.
[c] Insulæ circa Britanniam maiores aut minores, numero pœnè trecentæ alię ab Aquiloue in mari Hyperboreo aliæ ab occasu in mari Vergivio, aliæ ab Austro & Oriente quà partim Gallæciæ, & Cantabriæ Hispanicæ, partim Belgio Britannia obiacet.
[d] Angliam.
[e] Totius insulæ Moderatorem: quę nunc primum ex omni memoria vni tota paret.
[f] Henricus noster septimus qui non solũ duas familias regias, Lancastrensem cum Eboracẽsi, sed etiam Wallos seu Britannos (ipse paterno genere ex Wallia oriundus) cum Anglis arctiùs coniunxit.

Rettulit,admovitq; foco: nondum ille minaci
Sibilus ore tumet,neq; cauda surrigit orbes:
Sed rigidum primo tacitus se summovet igni:
Mox vbi conceptus penitùs calor,arduus altum
Attollet caput: & suffectos sanguine & igni
Asper,acerba tuens,oculos aget improbus: & iam
Aut matrem petet, aut natorum parva veneno
Corpora: ni bonus arrepta sude rusticus adsit,
Tale malum Latio furtim sublapsa veneno,
Te nisi servassent nobis tua fata, Iacobe,
Intestina lues nil non ausua dedisset.
Nunc pudibunda latet: lucemq; exterrita fugit.
* Struthio-camelus. Vtq; ingens * ales iuvenum cum vocibus Inda
Vrgetur,calidas timido pede radit arenas,
Eminùs audito sonitu: vastumq; recurvans
Remigium alarum,vix segne attollere corpus
Pulverulenta valet: mox si vestigia retrò
Iam propiora sonent,stolidum caput abdita,clausis
Luminibus,secura fugæ,ceu tota lateret,
Stat prædæ ridenda patens.sic luce reprensus,
Speq; nova falsus,superis iratus & imis,
Ausonius timidum latebris celare sacerdos
Nequicquam caput,& pudibundos abdere vultus,
Defensus tenebris & dono noctis opacæ
Apparet dolus: atq; orbi Tiberinus inundans
Arctior antiquo cohibet se conscius alveo.

QVales sollicitis tollunt mare fluctibus Euri:
Incursantq; iterum scopulos, iterumq; minaci
Murmure: sed semper reiecta retunditur ira:
Aut vt inundanti rapidus cum vortice torrens
Fertur agris, cui nix animos resoluta ministrat:
Iamq; greges & saxa rotat: pontesq; revellit
Fervidus: & stratas permisto turbine sylvas,
Atq; viros vagus,atq; domos rapit: obice tandem
Frangitur ingenti montis: quærensq; meatum
Spumeus insana frustra circumtonat vnda:
Talis in Anglorum populum ferus hostis & ipsam

Sævi-

Sævibat dominam:crebrisq; assultibus instans,
Sæpe novos vertit,semper spe futilis,ausus:
Cętera cedebant,sed non & virginis Anglæ
Cedebant animi,certatum est impete toto:
Sat furiis belloq; datum,nunc quisquis es hostis
Extere(nam cunctos intus concordia iungit)
Virgine disce minor , quid sceptra virilia possint.
Roma caput scelerum,& Româ generosior hostis,
Sperator facilis vetiti Burgunde triumphi,
Atq; Iber , atq; auri mirator Hibernus Iberi,
Ponite tandem animos, placidæq; assuescite paci:
Parcite tutelæ superûm certare:sacrumq;
Parcite iam tandem cupidis hæredibus aurum.
Cernitis vt certis se prodat numen amicum
Indicijs:regisq; novi stabilire Iacobi
Promittat sine cæde thronum : patefacta per omnes
Insidiasq, metusq; viro via: semper opertas
Excessit fraudes illæsus:& irrita furta
Spesq; retrò vertit:suffusaq vina venenis
Præscius evasit: coniectaq,tela sine ictu
Corpore vitavit,qualis præsepia linquens
Liber equus ludit famulos: hicq; hæret, & illic,
Dissimulans:viridesq; obiter depascitur herbas:
Mox instare retrò passu propiore sequentes
Cum videt,hinnitu per aperta effusus acuto,
Exilit: elapsusq; fugâ micat auribus alté.
Talem sæpe tui speciem,rex magne,sequentes
Senserunt:ausiq; Deum contendere contra,
In ventos fudere operam.non arte veneni
Impatiensve moræ longæ,per bella,per ignes
Anticipare diem, & fato tibi debita regna
Præripere optâsti:sedisti mente quietâ
Expectans , & amans hæres. Deus ergo paravit
Ipse viam immuni scelerum.non vidimus ensem
Vaginâ vacuum:nec vox audita tubarum
Bellica: inerme novi cecinit tuba nuntia regis.
Nomine , Rex auguste,tuo,sine Marte quiescit
Vndiq; turba tumens,talis tuus aureus ortus:

Qualis vbi timidis cœlo pulcherrima nautis
Tyndaridûm stella exoritur;iamq; ira recumbit
Sæva maris:ponuntq; minas,& murmura venti.

QVisquis es,optatum nostræ cui funus Elisæ:
Sive dolo,commune malum,seu Marte petebas:
Spes reprehende tuas,antiquaq; vota retracta.
Non tibi Regina de virgine gratus adempta
Nuncius. avulso nam ramo suppetit alter
Aureus:& simili succedit vena metallo.
Ecce vir, erepta pro virgine,regna capessit.
Spectatus longo discrimine,cognitus vsu:
Magnus avis, propria maior virtute,Iacobus.
Non illum vanis aut circumducere verbis,
Aut dabitur terrere minis: non horret ab auro.
Insidias videt ante:dolos eludit inanes.
Prima poli vindex,cultusq; arcere sinistros
Sacrorum, externos huic proxima cura tyrannos
Pellere:non densos adversi militis enses
Armorumve sonum,aut fremitum formidat equorũ.
Pacis & armorum medius:seu pondere libra
Iusta pari premitur,nec plus surgitve sedetve,
Laudis vtrumq; cacumen habet. sic pollice eodem
Æacides, quo Peliadem contorserat hastam,
Sæpe chelym movit. studijs qui pacis amœnæ
Floret, & innocuum præfert in fronte pudorem,
Novit tela manu ferrumq; haud debilis idem
Mittere;scit duris celerem revocare lupatis
Quadrupedem,& laxos tardo permittere frœnos
Inq; vicem recto cursu,vel tendere giro
Scit pugnæ faciem omnigenam;scit ducere fossam,
Scit vallare locum:certo venit hasta per auras
Impete: nec modicus sequitur de vulnere sanguis.
Non illi desit verbis sedare furorem:
Iustitiaq; domi populos frænare superbos,
Solicitis dare iura reis: miserescere egentum:
Reddere cuiq; suum:largamq; extendere dextram.
Non satis ingenijs illi studijsq; relapsis

Sufficere

Sufficere auxilium,doctisq; immittere calcar:
*I*pse viam præit exemplo: nec promere fœtus
Musarum fugit, & laudes (quæ plurima turba est)
Accumulare suas:& doctæ præmia frontis
*I*nter victrices hederam sibi texere laurus.

VEre, *I*acobe,venis: & tecum verior alter
Veris honos,qualis tempestas verna renidens
Cum redit,& stabili fatorum lege quotannis
Alma parens rerum secretis terra cietur
Visceribus, vario clam partu fœta gravescens,
Coniugis in gremium dum plurimus ingruit æther:
Confestim suus ecce decor redit omnibus agris:
Squaloremq; nova veterem mutare iuventâ,
Gaudet humus:læto resonant auiaria cantu,
Atq; nemus folijs,atq; herbis prata virescunt.
Talis blanda tuis liquefacta per ossa voluptas
Te veniente subit.mediæ seu frigore brumæ
Venisses,sive æstivi sub sydere cancri,
Ver, veniente, foret. Diuturno vere iuventæ
*I*ntersis nobis,mortali lege solutus:
Et mundum videas solemq; senescere tecum.
Sic,ó sic tibi,qui multorum contulit vni
Virtutes,idem multorum conferat annos:
Sic pater ipse poli facias:sic æqua parenti
Vnica progenies, idemq;, aliusq; duobus,
Qui super antiquas incumbens spiritus vndas
Omniparens vdam fovisti numen abyssum;
Hunc ne nostra tamen, Dominæ post moesta patrũq;
Funera, fraus vetet ætati restare labanti
Paciferum.cœlo sunt millia multa piorum,
Vnus amet terras:princepsq; paterq; vocari
Gaudeat: insanæ timeant quem moenia Romæ:
Et quem poscat *I*ber pacem . dum flumina currunt,
Dùm tellus ambitur aqua, pontumq; coërcet
Aër ,& cœlo sol arduus errat, et annus
*I*n sua se retrò vertit vestigia,*vivat*,
Quòd tibi si tandem,rex optime,abire necesse est,

Nec te vota valent lachrymæq; tenere tuorum
Vsq: piæ: seu gemmanti labentia tractu
Sidera te expectant, puræ seu regna reposcunt
Ardua crystalli, & vitreis plaga lucida tectis,
Seu domus ipsa vocat propior suprema Tonanti,
Teq; Amor, & liquidi te invitat nectaris amnis,
Serus abi: similesq; tuo de corpore linque
Hæredes: natumq;, & qui nascentur ab illo.

MIra fides, ceciditq; dies sine nocte sequestrâ,
  Et redit. ô rediens stet sine nocte dies.
Macte novis titulis, superûmq; hominumq; beatus
  Pace, veni, quo te fata Iacobe vocant.
Divisæ fuimus gentes, discordia regna:
  Nec manus agnovit corporis esse manus:
Te duce nunc primum nobis nos reddimur ipsis:
  Te duce per terras, per mare tuta quies.
Magnus vt Ægypti Nilus, quo flumine nullum
  Vtilius, nullo murmure, lene fluit:
Talis ades: salvâq; novum compage vetustâ
  Fundamentum ingens, spesq; salusq;, venis.

*Robertus Burhillus Collegij Corporis Christi Socius.*

Ma. 25 fest annunciat. SALVE festa dies, nobis celebranda quotannis,
Festa dies semper lætissima nuntia portans,
Nuntia bina simul portans, orbi altera toti,
Altera sed toto divisis orbe Britannis.
  Hæc est illa dies divini conscia partus,
Hæc eadem nobis optati nuntia regis,
Auspicijq;, Iacobe, tui gratissima testis.
Vix dici poterit, quanta acclamatio vulgi,
Vix credi, tacitos quot quantaq; gaudia sensus
Cunctorum implêrint. Non vllo tempore tanti
Auditi plausus, pluresvè ad sidera voces
Lætitiæ testes fusæ: Te rege beatam
Diximus Albionem; nec, spero, fefellimus omen.

Illa etenim si læta dies, qua candida rubræ
Iuncta Rosa est, litemq; domus vtriusq; diremit
Vnius gentis; quanto fœlicior illâ
Lux hodierna, duas tam magnas tamq; potentes
Iungens perpetuâ gentes in pace futuras?
Qua Britonū populus regnum coit omnis in vnum;
Inq; vicem gens vtraq; amat, dehinc vna: nec vllo
Angliúsve Scotúsve tibi discrimine agetur:
Nec sese posthac per mutua bella lacessent;
Externos iræ totæ vertentur in hostes:
Sub iuga iam Rhodanus, iam turbidus ibit Hybernus,
Et gens si qua tuas erit ausa lacessere vires.
Nec tamen interea, tanta inter gaudia, tantam
Lætitiam populi, memores non possumus esse
Mortis, Elisa, tuæ. Quis te memorando Britannus
Temperet à gemitu? Lachrymísve æquare dolores
Ipse suos possit? Quæ te tam sæva tulerunt
Fata tuis Anglis, tam votis invida nostris?
Sin illam tantùm venturo fata Iacobo
Constituere viam; magnoq; dolore voluptas
Stat quæq;: ac vni parere Britannia sceptro
Non nisi deflendum potuit post funus Elisæ,
Iam minùs hæc graviter ferimus: mors ista dolorq;
Hac nobis mercede placent: leviusq; putamus
Reginæ damnum amissæ, quo te, Optime, regem
Lucrati, magnum illius solamen habemus
Mortis, & amissa te compensavimus illa.
Non erit ambiguus regni aut dubitabilis hæres,
Te pater omnipotens numerosa prole beavit.
Anglia rege novo gaude: sit Cambria nostra
Principe læta suo: cuncti lætemur vtroq;.
Tu verò, rex magne, tuis lætare Britannis,
Auspicijs lætare tuis. Victricia semper
Arma geras: multos regnes fœliciter annos:
Et nati natorum in tempora longa perenne
Imperium ducant, & qui nascentur ab illis
Perpetua serie ventura in secula mittant.

*Rog. Porter sac. Theol. Bacc. è Coll. Ænei-nasi.*

IAM ſcio, cur Boream tueatur nautica pixis:
Iacobum digito monſtret vt illa ſuo.
Crediderā ſpectaſſe tuum, Dea, numen Eliſa,
Sed tu non ſpiras, aſt ea ſpectat adhuc.
Non miror populus ſi confluat obvius omnis,
Cùm ratione carens, obvia pixis eat.

*Robertus Hiron Ænei-naſi*
*Collegij Socius.*

PHœnicem, Phœnix parit Eliſabetha Iacobum.
Quòd perit illa prius Terra Britanna gemis?
At ceſſent gemitus: ſatis eſt quod Rector Olympi,
(Phœnices geminos qui negat eſſe ſimul,)
Dat tibi quem mundus Phœnicem poſſidet vnum;
Phœnice ô felix Anglica Terra tuo!
Tuq; ô divinæ ſtirpis generoſa propago,
Auſpice qui Chriſto iam tua ſceptra capis,
Euge age, maiorum ſuperes pia facta tuorum,
Qui ſuperas regnis & pietate tuos.
Frendite Papicolæ, Deus hunc in ſceptra reponit,
Impia qui pellet dogmata veſtra procul.
O regnet tutus, quem das Pater optime; ſerò
Quodq; tenet nato det diadema ſuo.

*Henr. Hindle Colleg. Corp.*
*Chriſt. Socius.*

VANA quid augurij vox eſt? quid fabula vulgi?
Quidve timor noſter? quidve expectatio longa
Angliadum, voces & verba minantia ſpargens?
*Principe defunctâ ſuccedent arma, tumultus,*
*Civica bella, neces, terraq; ruina Britannæ.*
Iure quidem nobis præreptam flemus *Elizam*
(Fœminei ſexus, Maieſtatiſq; decorem.)
Flemus: at abſterſit lachrymas *IACOBVS* obortas,
Natus ab *Occiduæ Phœnicis* funere *Phœnix.*
Nec clamor belli, nec vis, clangorve tubarum

Im-

Implevere aures: sed grata silentia *Pacis*
Spes nostras fecere ratas: ferus exulat horror
Armorum: quamvis succedit *Martia Proles*,
Cui proprio propriam assignat *Mars mense* Coronam. Martij 24.
*Tueda* suos fluctus cohibet, non ampliùs vndis
*Tueda* suis validos Scotos disterminat Anglis.
Insula quæ quondam *Brittannia, Maxima* dicta est,
Accrevit maior: nunc & florentius extat
Imperium, quàm si sub Sole iaceret vtroq;.
Regis in adventum laxat *Brittannia* zonam,
Et nunc *Orcadibus* connectitur insula *Vectis*,
Et, quæ serpentem non nutrit, *Hibernica tellus*,
Et titulos largita suos est *Gallia* magnos.
Perge bonis avibus (*Princeps* sanctissime) avitas
Transgrediens laudes: cui *Pallas* divite venâ
Infudit dotes: species cui corporis illa est
Quæ petat imperium: cuius maturior ætas
Constantem virtute probat: quem stemmatis ordo
Inclytus invictum demonstrat *Fergusianum*.
Perge, cape imperium, populus lætetur vt Anglus
Quòd benè præsideant Anglis IACOBVS, & ANNA.
*Martia* ceperunt [a] HENRICVM tempora *Quintum*, [a] Inijt Reg. 20. Martij 1412.
Illum nempe ducem cui dat *Monmuthia* nomen.
*Martia* ceperunt [b] EDOARDVM tempora *Quartum*, [b] Inijt Reg. 4 Martij 1460.
Terrorem (*Ludovice*) parem *Gallisq*, tibiq;.
Successus (*Rex Magne*) Tibi *Mars* ipse priores
Omine promittit fausto: Tu applaude faventi.
Abiectis *Cinere* & *sacco*, *Mars* tempora vatum
Exornat lauro: mutatur temporis ordo,
Et lætæ subiere vices: vox quæque dolori
Credita tàm nuper, cœpit gaudere, Tuamq;
Exoptare prece assiduâ, votisq; salutem.
Et si quis vates neget hunc in carmina finem
Vel scribat nullâ, vel crassâ Pallade versus.

NOSTRI, quod aiunt temporis inscium Hor. lib. 3. Car. Ode. 5
Scripsisse Flaccum. *Divus habebitur*
*Augustus adiectis Britannis*
*Imperio, gravibusq; Persis.*

Rex magne, de Te Posteritas canet
Ventura iustè, Divus habebitur
Iacobus adiectis Britannis
Imperio, gravibusq; Hibernis.

*Edoardus Lapworth. è Coll. Magdal. Art. Mag.*

COncussæ gemitu, atq; inopina morte parentis
Musarum veneranda cohors, deponite questus
Funebres, tuq; adversis perterrita fatis
Anglia, pace valens, bello multum inclyta tellus,
Exue lugubres animos, & læta triumphes
Sacra ferens, mactesq; tuo de more bidentes.
En tibi iam nova lux, sydus Boreale relucens
Clarius & Phœbo, reliquisq; nitentius astris
Discussit tenebras, rex sceptro insignis avito,
Egregius pietate dei, virtute coruscans,
Bello, animoq; valens, cui toto in corde Minervæ
Effigies impressa latet, quem Delius artes
Edocuit; tua Rex inquam, nunc arva revisit
Lætus, & haud tanto sat dignos Rege penates.
Anglia pone metum, mœstumq; a corde timorem
Discute, te firma iam Rex in pace locabit:
Neu Romæ terrere minis, gens Itala seu quid
Hispanusve potest, aut Turca potentior armis.
Relligio tibi turris erit, Rex vnicus esto
Signifer, ad cæli portas & limina ducens:
Æternùm tibi parta quies; neu sæva Papismi
Toxica te moveant, dirumq; sonantia tela
Dæmonis infesti, toties contorta Britannis.
Tuta manes, sat tecta manes, Regnante Iacobo

*Thomas Came: Exon. Coll.*

*In Libros a literatissimo Rege conscriptos.*

ITe triumphales læti exornate columnas,
Ferte citi Regi pendula tela novo.

Miles

Miles at omnis abeſt. Victoria nulla cruenta
Auget adhuc titulos, Magne Iacobe, tuos.
Non quia non potis es populos vincire ſuperbos,
(Nam tua finitimis dextera nota ſatis.)
Hocq; tuus nummus, *Nemo me impune laceſſet*,
Spondet, & hoc Tribuli ſymbola ſculpta monent.
Sed quia præ reliquis pacato ſydere natus,
Muſarum recolis, Pieridumq; domos.
Ergo Columna tuis ornabitur ampla Libellis,
Hęc ſpolia Errorum, hæc impietatis, habe.

*In Coronam.*

INdue Rex propriæ ſignum virtutis, vt extra
Splendeſcat virtus, quam magis intus habes.

*In vnita Regna.*

QVE Duo Regna diu; fiunt feliciter vnum,
Vnum conſerves, Dic Iacobe, diu.

*In inſignia Anglorum habentia tres Leones, & tria Lilia; & Scotorum portantia vnum Leonem & plura Lilia.*

Ergò Britannorum tribus adde Leonibus vnum
Scotorum, & fiet digna quadriga Iove;
Atq; Caledonios, ſi flores floribus addas
Anglorum, fiet digna corona Iove.
Iure triumphantem feret iſta quadriga Iacobum,
Illius hæc cinget iure corona, caput.

*In Genealogiam potentiſſimi Regis Iacobi.*

STemmata nunc proſunt; prodeſt Rex inclyte lõgo
Sanguine cenſeri: ſic tua iura patent.
Sic atavis ſimilis, quorum nunc ſceptra tueris,
Sic patrem referat filius Ille, tuus.

*Richardus Haydocke in Medicina Baccalaur.*
*è Novo Collegio*

Oun

OUκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη; εἷς κοίρανος ἔστω.
Mæonides doctâ scripsit in Iliade.
Subscribo: hinc, duplici ne gens contermina rege
Scindatur, duplici natus es imperio.
Et si Democriti vera est sententia, MVNDI
SVNT INFINITI; qui modereris, eris.
Lampados instar enim radios emittis in orbem.
Queis LEO, blanda CHELYS, FLOS, peritura, vigent.

*Tho. Floyd Coll. Iesu socius.*

SOl in cœlo, Rex in regno,
Vita & virtus, lumen, columen,
Animat, lustrat, temperat, ornat.
Sol Iacobus, Scotis, Anglis:
Scotis oriens bimulus infans;
Altior Austrum cum petit, Anglos
19. Iun. 1566 Suprema petit gloria cœli.
Sic sic natus, Sol vbi summo
Radians cœlo altissimus ibat;
Sic sic semper, serò occiduus,
Animet Scotos, Anglos lustret,
Omnes ornet, temperet orbem.

*Tho. Alwin superior Bedellus Artium.*

ILle ego, qui nostri paulò maiora Lycei,
Munio Publicitùs qualiacunq; Fide,
Reges, Regna, Dies, referens digesta per Annos:
Et nunc officio fungar, Apollo, meo.
Sic ego, sic igitur *Testor*: feliciter Actum,
Palladis ô, tecum, docta palæstra, fuit,
Anno quo primùm cœpit Regnare Iacobus,
Quoq; Britannorum Rex fuit ille Die.

*Mauricius Merick in Artibus Magist. Almæ Academiæ Registrarius & Notarius publicus.*

SI Regum Anglorum quisquam fuit ante beatus,
Hoc Atavo vestro, Rex pie, cedo decus.
Nam Rosa pugnaces habuit prius Angla colores,
At color eius ope est iunctus, & vnus odor.
*Tu* Regno socias Anglos Scotosq; Iacobe,
Vnaq; gens facta est, quæ fuit ante duplex.
Hoc etiam Henricum superas, quod regni vtriusq;
Vnica relligio vera sit, vna fides.
Hinc Missæ missæ: Statuas pepulere Statuta,
Idolumq; dolum non velut ante, facit
Papæ! Papa iacet: nec Regnis impius istis
Quicquam iuris habet, quicquam habiturus erit.
Vnus ab Henrici remanes *Tu* stirpe Iacobe,
In quo spes omnis, res quoq; nostra sita est.
Papa suo Regno, Regno quoq; Turca timebit;
Hic tua Regna videns fortia, at ille pia
Ergo age macte diu, Princeps clarissime, fulte
Et duplici Regno, multiplicíq; bono.
Et tibi perpetuo succedant ordine Nati,
Gaudentes pace & relligione Patris.

*Anagramma*

IACOBVS STEVARTVS
A TRIBVS ES VOCATVS

QVo *tria* te iam Regna vocant, perge Inclyte Princeps,
Hiberni & Angli, Principem, & Scoti vocant:
A TRIBVS ES Populis, communi iure VOCATVS;
Pietate, amore, lege communi regas.

*In idem*

Oxoniæ, si quis quærat, cur Magne Iacobe
Rex ES VOCATVS à TRIBVS, triplici die,
Sufficiat ratio hæc: Numero Deus impare gaudet,
Atq; hominum in vrbe semper est ordo triplex.
Primum nempe gradum qui Nobilitate refulgent,
Docti secundum, tertium Populi tenent.
*Norricius* primus, *Procancellarius Howson*
Regem secundus, *Vicecomes* vocat vltimus.

Sic voce hac triplici *clarum* qui stirpe potentes,
Docti *eruditum* prædicant, populus *pium*.
Expectent ergo Heröes, doctæq; cohortes
Populusq; Regem, *Nobilem, doctum, pium*.

*Aliud*

IACOBVS STEVARTIVS
TVIS BEATVS VOCARIS

Si meritum voces habeant, & litera pondus
Esse aliquid reor, inde *TVIS* meritoq; *VOCARIS*
Nomine quod præfers, velut omine, iure *BEATVS*.

*Aliud*

O BIS(VT VIS)SACRATE

BIS sacer es Princeps Regnis SACRATE duobus
Quæ fœlix, VT VIS, terq; quaterq; beas,
Perge beare diu, nosq; inter sceptra tueri;
Quos faciet tutos Rexq; Deusq; simul.

*Tho. Iames Art. Mag. & Bibliothecarius Publicus.*

*In Emblema Stewartorum insignibus præfixum.*

QVi tria coniungit fœlicia regna Iacobus,
Et regit imperio qui tria sceptra pari:
Ille iterum titulis nova stemmata signet avitis;
Singula cum valeant, sunt meliora simul.

*Bernardus Banger in sac. Theol. Bedellus.*

COmmune est, summos fato succumbere Reges.
Sic servis Dominos mors facit esse pares.
Commune est, Regi Regem succedere, passu
Alterno: Rex hic & præit, & sequitur.
Talem Reginam, qualem se ostendit Elisa,
Talem inquam fato succubuisse, novum est.
Reginæ Regem talem succedere, qualem
Fœlix nunc iterum est Anglia nacta, novum est.
O fœlix, bona si sua noverit, Anglia: fœlix
Regina veteri, & Rege beata novo.

*De perpetua; (idq; sinè cœde) Anglorum & Scotorum Insignium coniunctione.*

Disiunctas vnire Rosas, albamq; , rubramq; ,
Quantum opus, adduco testes civilia bella,
Bella Britannorum; per quæ tot millia plebis,
Tot cecidere Duces; vt adhuc regnasset Enyo,
Ni sociando Rosas, Henricus septimus, orbi
Pacem, & belligeris donasset fœdera dextris.
Disiunctas vnire Feras, vnire Leones,
Maior honos, quia maius opus: Tu Magne Iacobe,
Disiunctos, sociasti vnà, sine cæde, Leones;
Ergo magis multò Tibi tota Britannia pacem
Acceptam referet, seri referentq; nepotes,
Quam ferre Henrico potuerunt secla priora:

*Richardus Ryce superior Bedellus in Iure civili.*

DIc mihi virgineo cur picta Scientia vultu,
Cur Pietas, Virtus, Musa novena, Charis?
Num quia virgineo spirantes pectore Elisæ
His magis arrisit virginis effigies?
Ergo omnes posthac cinctu splendete virili
Ars, Pietas, Virtus, Musa novena, Charis.
Nam, non tantùm hæres regni Iacobus Elisæ,
Illi vos etiam liquit amica Deas.

*Ioan. Swetnam Art. Mag. Æneanasensis.*

TEr tria Piërios habitantia numina montes
Castalium gratâ fundite voce melos:
Aurea ferratum vicerunt sæcula sæclum,
Doctaq; sub docto principe Musa viget.

Quo Romæ celebrata olim Concordia mense,
Et Romana salus, Araq; Pacis erat:
Hoc ipso Britonum terræ Concordia mense,
Anglorumq; salus, Horaq; Pacis adest.

Non poteris facilis coniunctum frangere fascem;
Ergo vni tandem iam tota Britannia Regi
Subdita, te firmam spes est haud parua futuram.

*Thomas Maurice. Art. Mag. ex Aula Glocest:*

SIccinè perpetuas Anglorum gaudia læto
Omine, successusq; novis successibus auges
Arbiter omnipotens? Mundi Phœnice perempta
Phœnicum soboles, seclôrum nascitur ordo?
Scilicet immeritis, tantæ monumenta salutis
Exhibuisse, dei munus mirabile summi.
Discite Papicolæ, picti ludibria trunci
Qui colitis, nati Loyolæ è stirpe Suitæ
Discite, in ætherea dominus quàm riserit aula,
Gorgonis ora trucis, bullatis turgida nugis.
Eia tuum cantes dulcissima patria Christum:
Tuq; Pater patriæ, Regum sanctissime, secli
Vis stupor esse tui? studeas adiungere sceptro'
Sceptra Superna tuo: *Verum* moderetur & *æquum*
Imperij fasces; sic insidiosa silebunt
Murmura; Relligio sic illibata manebit;
Sic tua ter fœlix, sic ære perennior ætas
Postera, per multas fundet miracula terras.

Ἰώ, ὀλβία γαῖα, θαῦμα γαιῶν
Ἄσβεστον στέφος ἔχεν ἐν βροτοῖσιν·
Ἄσβεστον κλέος ἔχ' ἐν ἀμβρότοισιν.
Ἡρακλῆν πλέονες, τέτρωρον ἅρμα
Κλεινὸν, Καῖσαρ Ἄρηος ὄζον ὄντα,
Καὶ Λαερτιάδην, κλέος Πελασγῶν
Οὐ παῦσαν κελαδεῖν, μεμηλότες τι.
Ἡρακλῆς, πολύμητις, ἠδὲ Καῖσαρ,
Τί λέξω Πυλίοιο νοῦν γέροντος;
Κεῖντ', ἐν στήθει ἐνθέῳ Ἄνακτος·
Ἤδη Χριστιανοὶ λέγον, νόοντε.
Ἰώ, ὀλβία γαῖα, θαῦμα γαιῶν
Ἄσβεστον στέφος ἔχειν ἐν βροτοῖσι·
Ἄσβεστον κλέος ἔχ' ἐν ἀμβρότοισι.

*Tho. Peacocke Æn. Coll. Mag. Art.*

DElirant medici, qui si caput ense recidas
Orbari sensu cætera membra docent.
Non ego plùs medicis credam: pia turba Britannûm
Principe sublatâ non sine teste dolet.
Sed lachrymæ cessere piæ; cum sceptra Iacobus
Possidet, & solium scandit (Elisa) tuum.
Iam nihil ô superi querimur, plebs Anglica gaudet,
Ipsa coronatis terra triumphat equis.
Quòd regalis Honos, placido Reverentia vultu,
Membra simul thalamis imposuere pijs:
Edita Maiestas hinc est, quæ dia Iacobi
Temperet Angligenas, terreat Ausonios.

*Alex. Martin Art. Mag. è Coll. Magd.*

O dolor, ô Regina potens? sic deseris Anglos?
Sic exosa tuos precibus deducis Olympo
[a] Irin? quæ placidâ tua lumina morte resignet. [a] 4 Aenead. in hist. Did.
Funeris heu tibi causa fui, mea crimina vitam
Eripuêre tuam, merita nec morte peribas.
Hei mihi quod Regis sceptrum non præstitit illud,
Quod [b] Cynici præstare ferunt nodosa bacilla: [b] Laert. in vita Diog.
Hei mihi quod toties peccem. Sic Anglia tota
Conqueritur tacitè, talesq; miserrima fletus
Effundit: tamen illa Deo post verbera plaudit
(Vt patribus pueri rigidis & blanda vicissim
Gaudia succedunt) & circumplaudit ovanti
Lætitiâ, strepituq; fremit, mox Io Triumphe,
Io Triumphe sonat, iactato ad sydera flore;
Vivat Hyperboreo qui regnat in axe Iacobus:
Ille Caledoniæ rex inclytus, ille superstes
Regum progenies, stirps proxima, debitus hæres
Elisabetha, tuus, qui te virtute referret.
O pater omnipotens, qui cœlum mitius illi,
Et regnum positum diverso in cardine mundi
Vxorem natosq; & pignora chara dedisti,
Da spatium vitæ, multos da quæsumus annos.

*Rob. Willughbeius Art. Mag. è Coll. Magd.*

ANné ideò ordiris regni moderamina Vere,
Perpetui vt Nobis tempora Veris eant?

Quo me Musa rapis? nescis quæ aut qualia tentas,
Dedecorant humiles clara tropæa modi.
Grandia Mœonij sunt carminis alite digna,
Angustos refugit tanta propago sinus.
Ergo ego te nullo celebrabo carmine Princeps,
Quòd nequeo dignis te celebrare modis?
Absit. Ovans omnis cum nunc tibi munera donet
Quæ valet, hæc ideo qualiacunq; damus.

Quod timuere malum Papales ex Aquilone
Hoc semper metuant ex Aquilone malum.

*R. Terry socius Novi Coll. in LL, Bacch.*

EN armis iterum deos Typhoeus,
Et centum manibus Gyas lacessit:
En tota Anguipedum cohors gregatim
Tentat Pelion elevare in Ossam:
Hinc est cernere quam superba cepit
Hispanus Briareus locare castra:
Illinc Romulidum triumphus, Hydra
Diras evomit execrationes:
A tergo minitans Iberus ignem
Et ferrum, horribiles ciet tumultus:
Intra mœnia mille stant Sinones,
Technas, insidias, dolos struentes.
Quanti sit tua fortitudo, summe
Princeps, consilium fidele quanti,
Nunc tandem Angligenæ fruendo discent,
Quod nunquam satiantur audiendo.

Ex Aquilone malum possit si tale renasci,
Sit semper nobis ex Aquilone malum.

*Ambrosius Sacheverell Bacch. in LL, è Coll. Novo.*

IAM priùs invisis iungentur regna Britannis
Scotica, iam terras lex reget vna duas,
Felices Angli nimium, sic cedere Scotis,
Sic etiam Scotis vincere, maius erit.
Hoc facit vt sperem virtus tua (maxime Regum)
Dicere quam verè posset Elisa suam.
Quippe pares doctrina animi, pietate gemelli,
Et parili amborum pectora more nitent.
Illa quibus populum diuturna pace beavit,
Et quibus hostiles contudit illa manus.
Sic eadem virtus, deus idem, ijdemq; ministri;
Aspirant votis prospera cuncta pijs.

*Geo. Iohnson. Mag. Art. è Coll. Novo.*

NON, veluti Delos quõdam inter Cycladas errãs,
Huc illuc dubijs mersa natavit aquis;
Sic reliquo penitus disiuncta Britannia mundo,
Fluctuat ignotis contumulata fretis.
Nacta locũ, & stabilẽ est simul Insula & incola mentẽ,
Gens duplex, vna est; sic geminatur amor.
Hoc me angit; tua iam (Rex magne) potentia sceptri,
Crevit; (et æternùm crescere posse precor)
Sed meus antè piæ qui præstabatur Elisæ
Summus amor, tibi nunc maior adesse nequit.

*Rog. Ewerus ex Æde Christi Art. Mag.*

NObilium cœtus, Plebs, Clerus, Curia, Musæ,
Anglia quos tanquàm publica navis habet;
Attoniti, amissum deflebant lumen Elisæ,
Iamq; est, clamarunt, iam peritura ratis.
En subitò timidis fulsit nova stella *Iacobus*,
Et coniuratas numine placat aquas.
Fulgeat æternùm sidus quod fulsit ab Arcto,
Fiat & Angligenis, Rex, Cynosura tuis.

*Georgius Stella Mag. Art. Æneanasensis.*

OLim Papicolæ hanc videre noctem,
Certabant varijs modis, deoq;
Exosis hominiq; dæmoniq;
(Si non omnia facta eorum & ipsos
Dæmon diligit ista perpetrantes)
Solum hoc votum erat, vt Britanniæ lux
Regina occideret: Britanniæ lux
Regina occidit: Ampliusne vultis?
Vnam illam é medio, illa nos moratur;
Sublatam volumus: manu deinde
Nostrâ perficiemus, vt videtur,
Quæ restant. Superare parvum erit quid
Hanc omnem patriam: esse quisq; vult rex
Aut regem faciet. Pater futuram
Hanc Parsonus ait diem, Britannos
Omnes quæ adijciat Papæ: Hoc idemq;
Est fraterculus omnis auguratus:
Nec non Westonulus latrante rictu,
Seta penditur hæc fides Britanna
Reginam aufer & auferes crepantes
Solum evangelium, & labore eodem
Nostras restitues, vocant tenebras,
At multa face erunt, satis coruscæ.
O fallax hominumq; spes inanis,
Quid prodest stimulis recalcitrare?
Non Anglos, sed enim Deum potentem
Anglorum scelere estis insecuti.
Ergo qui sedet in supremo Olympo
Vos deridet & irrita acta reddit.
Vestra audit maledicta: sed bene ipse
Dicit. Colchica quam venena nunquam
Aut quod concipitur nefas vbiq;
Possit tollere, pace iam quietâ
In Christo fruitur. Sed antè Regem
Christus constituit, vices tenentem
Reginæ: facilè vt sciatis omnes
Illi relligionis esse curam.
Nunc plorare potestis & dolere

Luctu

Luctu desinit,en,furor minæq;
Iam spes nulla relinquitur futuri,
Iam successio certa:Iam Britanni
Multò compositi magis fide sunt.
Hoc votis precibusq; vos tulistis!
Vultis consilium? Deo obsequendum
Regem propter eum timete,amate,
Nobiscum celebrate sacra festa.
Totum est a Domino,timete quidquam
Contradicere,vel putare contrà.

IN lachrymas possē pro te(Regina) resolvi:
Mater eras fidei, mater eras patriæ.
Ecce Deus non vult nos te lugere beatam.
Papicolæ potius fletibus ora rigent.
Illi te mitem sensêre: Sed iste Iacobus
Supplantator erit:nomen et acta probant.

MInimâ Britānos nocte contentos canit
Verè poeta:nam simul sol occidit
Exoritur alius: Minimus hic nocti locus.

Liuide qui a Boreâ garris bona nulla venire
Falleris: A Borea est spesq; salusq; Noti.

Hic dies regnum & diadema tutum:
(Nuper Elisæ fuerant poten tis)
Tradit hæredi,pietate tali &
Relligione.
Principem nobis Deus ipse tradit
(Quo nihil majus meliusq; possit)
Proximum regno celebremq; vera
Relligione.
Primus hoc nomen retulit Iacobus
Angliæ: tandem penitus fugari
Posse Papistas docet auspicato
Nomine primus.
O Deus regnum facias precamur
prosperum regi,vacuumq; bello.
Ipse scrutetur tibi quod placebit
Perficiatq;.

Subditos omnes habeat fideles,
Vt regat lætus populum Britannum,
Et diu viuat, meliuſq; ſemper
Proroget æuum.

*Abrahamus Buckley Mag. Art. Ex Æde Christi.*

VEre novo, condens caput inter nubila, cantu
Aures atq; auras mulcet alauda ſuo.
Nempe novo Soli gratatur. Nos quoq; læti
Rege novo, lætâ voce canamus Io.
Optima ſed Princeps eſt nuper mortua. Certè
Charior incertum eſt hic ſit, an illa fuit.
Maximus atqui oritur Princeps: ſed & Optimus. Illa
Talis erat. Tu ſis ambo (Iacobe) ſimul.
Maximus es regnis; Virtute ſed Optimus eſto.
Sic verus veri filius ipſe Dei es.
Hic ſatis eſſe putat ſi quis clareſcat vtrovis;
Tu cum ſis Princeps noſter, vtroq; nite.
Immò macte novâ virtute, novum Diadema
Impoſuit capiti cùm Deus ipſe tuo.
Macte (inquam) virtute: pijs auferre timorem
Pergas (ô Princeps Inclyte) ſpemq; malis.

SI quâ fides veterum ſcriptis adhibenda: videtur
Nomen ab officio ductum; dictuſq; Stuartus
Eſt, ac ſi OEconomum dicas. Ter Maxime, plura
Sunt fidei curæq; tuæ concredita ſceptra.
Scilicet vna tuæ virtuti Scotia tantæ
Eſt anguſta nimis; Vix vnus ſufficit Orbis.
Amplius ergo tua eſt virtus iam nacta theatrum,
Scotorũq; hominum Princeps, hominumq; Britãnûm.
Quin tibi præfractos ſubmittit Hibernia faſces,
Aſſeriturq; tuis titulis Gens Celtica florens,
A re nomen habeto. Tuis ô ergò (Iacobe)
Sis bonus OEconomus, diſpenſatorq; fidelis.

*Guil. Langton Art. Magiſt. è Coll. Magdal.*

*In Iacobum eius nominis primum sereniss. Angliæ &c. Regem Carmen.*

QVòd post lugendum defunctæ funus Elisæ
Anglica sint iuris sceptra (Iacobe) tui,
Concepit (meritoq; tuo) nova gaudia, quicquid
Lato circumeunt æquora nostra sinu.
Sed maiora meæ contingunt gaudia menti:
Lætitiæ maior nam mihi causa meæ est:
Cui tua, pieridas iucunda per antra sequenti
Calcar, & assiduam dextra ministrat opem.

*Rodolphus Baylivus Aula Cervina in Art. Mag. vnusq; ex Principiis in hac Acad. Alumnis.*

QVis timor Angligenæ proles Mavortia vestras
Attonuit mentes? quis vestras perculit aures
Armorum strepitus? nunc sunt vbi bella, tumultus?
Bella per Anglorum plus quam civilia campos
Quæ per nocturnam semper sunt visa quietem?
Anglia pone metus, lachrimæ sistantur obortæ:
Qui Deus omnipotens fuerat morientis Elisæ,
Et viventis erit nostri Deus ille Iacobi.
Reginam dedit ille Deus, Regemq; daturus
Non iam femineæ languentia robora mentis,
Sed pectus sublime dabit, virtute virili
Pollentes animos, caput insuperabile bello.
Et suspende metus; non est externa tyranni
Sceptra reformides: vivet iam Scotus & Anglus
Vnius regis gens vna & lege sub vna;
Nosq; simul iuncti, concordi pace ligati,
Viribus vnitis freti superabimus hostes.
Cumq; Britannorum prognato sanguine Regum
Regna Britanna Deus dederit: nostrosq; Leones
Cum reget ille Leo, posito luctuq; metuq;
Vivat clamemus concordi voce Iacobus.

*Georg. Dorell Art. Mag. ex Coll. O. A.*

VT Regina, dei fidissima morte perempta est,
Protinus arripuit bullas, Babilone profectas
Blacwellus, magna fratrum comitante caterva:
Euge salutiferum (clamantes) tempus; adeste,
Saxa, faces, fasces: VVhitgiftos, Hæreticosq;
Diripite, ex imis evertite fundamentis.
Sed postquam pietate gravem meritisq; Iacobum
Conspexere, silent, & raso vertice currunt
In tenebras, latebrisq; suis velùt ante coaxant.

*Rodolphus Cowlton Mag. Art. Æn. Nas.*

Percrepuit VVESTONVS onus, patriæq; ruinam;
Cum sexum, & senium vidit, ELISA, tuum:
Funus adest, finisq; tui (Gens ANGLICA) regni,
Inquit; onus sceptri cùm moderetur anus.
Impius infamem IEBVSITA imitatur ARACHNEN.
PALLADA quam decuit dicere, dixit anum.
Scilicet, impurus CAIPHAS prædixit IESV
Funus; at est illo funere vita data:
Sic VVESTONVS, *ὄνος*, funus prædixit ELISÆ:
Funere, ELISA, tuo non minor orta salus;
Non minor orta salus, exorto rege IACOBO;
Quàm fuerat sæclis ELIBETHA tuis.

*Robertus Trout-beck Collegij Reginæ Socius.*

NON patitur Cœlum Borealia sydera mergi,
Non illas stellas Tethyos vnda lavat.
En post occiduam nostro hoc in Climate Phœben,
Fulges de rutilo tu Cynosura Polo.
Dij faxint, hoc si sit fas optare, *Iacobe*
Nobis vt niteas sisq; perenne iubar.
Vt pax, relligio, pietas, Academica pubes,
Publica res, Proceres, plebsq; Britanna simul
Per te florescant, Christiq; Ecclesia victrix
Enatet, vt pessùm non eat illa ratis.

*Franciscus Everton. Mag. Art. è Coll. Magd.*

DIC mihi Phœbe precor, cur per duo signa priora,
Conspicuum versus progrediendo Polum
Festines rapidè: Fallorne? an vt inde Iacobum
Tollas, vt regno splendidiore loces.
Sic est; Ecce tibi clivo sudatur in isto,
Vt per te felix sceptra Britanna gerat.
Tardiùs ergò mea, celeremq; inhibeto volatum,
Passibus vt lentis sydera nostra teras.

*Henricus Hall Mag. Art. è Coll: Magd.*

QVæ sola sceptro digna Regali extitit
Regina, sexus virgo fæminei decus,
Amare vivam nemo quam potuit satis,
Nec quam peremptam lugeat quisquam satis,
Pretiosa mundi gemma, funereo iacet
Mortua sepulchro; superat hinc omnes dolor
Anglus dolores, sorsq; deflenda omnibus
Celanda nulli est; concidit regni decus.
At concitato fallimur stulti metu,
Hæc ampliori regio luxuriat bono.
Divina virtus fronde decoravit novâ
Et pulchriori gentis Angligenæ caput,
(Muliebrê quanto est pulchrior virtus viri.)
Quæcunq; reges dona nobilitant, fides
Artes, religio, & ampla virtutum seges,
Geminata crescunt Rege Iacobo omnia:
Hinc fata nostris addere optatis nihil,
Licet ipsa cupiant maximè, maius queunt.
Reparatus igitùr qualitèr Phœnix rogo,
Modulis salutat splendidum solis iubar,
Dijs sacra salutat principem, Solem suum
Oxonia, & alacri gestiens plausu fremit,
Quæ cum Camænas nutriat dignas Iove,
Negligat inertes, languidam cogit meam
Silere Musam: quæ tamen fundet preces,
Vltra Sibillæ, Nestoris vt vltra dies

Ostendat Anglis Regium lætis caput
Iacobus, amplâ gloriâ & solio potens.

*Io. Bancroft Ædis Christi. Art. Magist.*

CVM mœstum video Reginæ funus Elisæ,
Ex oculis salsæ decidit humor aquæ:
Cùm faustum specto Regis Diadema Iacobi,
Tum magis excitæ prosiliunt lachrymæ.
Miraris? lachrymas fundo gaudensq; dolensq; ,
Ex luctu lachrymæ, lætitiaq; fluunt.
Sic pro Reginâ defunctâ, & Rege creato,
Has luctus lachrymas, lætitiæq; fero.

*Fran. Chowne Ædis Christi. Art. Mag.*

*Anagramma.*

Luc. 2. 10. 14 *IACOBVS PRIMVS REX ANGLIAE:*
*EVANGELIVM, PAX SACRI ORBIS:*

SI Sacrum cupis orbem amande Princeps,
Florentemq; diù Angliam tenere,
Est Evangelium Sacrum orbis Angli.
Si vis pacificam Iacobe Princeps,
Si longùm sine Marte vis vigentem
Sit Verbum stabilitum ab ore Christi
Scriptum, Evangeliumq; prædicatum,
Istud pacificos facit Britannos,
Istud pacificis item Britannis,
Pacatos hominem Deumq; reddit:
Namq; *EVANGELIVM SACRI ORBIS* est *PAX*.
Quod si quis modò quæritet beata
Quadraginta magisq; cur per annos
Mirandam Elisabetha pacem haberet:
Hoc respondeo quæritanti amico,
Namq: *EVANGELIVM SACRI ORBIS* est *PAX*.
Sin vltra velit vt satis, roganti,
Factum deniq; sit, Iacobe quare

Op-

Optatissime Principum bonorum
Princeps optime quotquot optimorum,
Regem te dederit Deus Britannis
Nullo Sanguine, Marte, morte, pugnâ,
Nullo verbere, lite, verbulove;
Concludam brevis vnicâ Camænâ
*Quæ nomen celeberrimi Iacobi*
*Primi, principis exhibet Britanni:*
Namq; *EVANGELIUM SACRI ORBIS* est *PAX.*

*Ioannes Sprint Ædis Christi Art. Mag.*

TOTVS Apollo tuus, tua Musa est tota: quid ergò
Mirum, si vates nil cecinere tui?
Carmina nemo potest te condere digna: quid ergò ?
Te vel Apollo tuus, vel tua Musa canat.

ANglia terrarum gemma es, tua gemma Iacobus,
Quem Margaritæ gemmea vena dedit.
India sub Phœbo, gens vtraq; dives vtroq;,
Cur mihi iactat opes illa, vel illa suas ?
Cui gens nulla dabit similem, dat Scotia gemmam;
Non tibi dedecori est, tu neq; Scota dabis.

*Richardus Carpenter Mag. Art.*
*Socius Collegij Exon.*

*Iacobus primus Rex Anglorum serenissimus.*

*Anagrammatismus.*

*Regni Sol, Iuris Ara, Pro Musis*
*Summe excubans.*

COndit in occasu rutilantem lampada Phœbe,
Indignamq; suo viduavit lumine gentem.
Extulit occasu radiantem lampada Phœbus,
Squallentemq; suo renovavit lumine gentem.

Fa-

Fœlices Anglos, quorum tot præmia damno
Accumulent Superi, regno, populoq;, scholæq;,
En *Regni* pellens tenebras *Sol* aureus Angli:
En populo *Iuris* fugiat quò saucius *Ara*:
Ecce scholæ pugil illustris, qui doctus ab altâ
Regni, *Pro Musis summè* Rex *Excubat*, arce.
Flagres, stes, vivas, fœlix, immota, triumphans,
O Sol, Ara, Pugil, regno, populoq;, scholæq;.

*Sim. Baskervile in Art. Mag. è Coll. Exon.*

ADvenit optatus, qui non venit advena nobis:
Angligenis, Anglus scilicet ipse venis.
Noster ades, princepsq; potens, fœlixq; *Monarcha*,
Anglia cui sceptrum, cui diadema dedit.
Te duce, mutatum est tantummodo nomen Elisæ,
Nam pax, & pietas, quæ fuit antè manet.
Macte bonis avibus, nec cedant vltima primis,
*Supplantare* hostes disce (*Iacobe*) tuos.

*Degno d' Impero*, Iacomò, *senza pare*,
*Quanto discuopre il Ciel, cinge il mare:*
*Prencipe vero, al volto, a gl' atti,*
*Ricco di vertù, di principati.*
*A tuoi meriti, à tuoi pregi,*
*Tre bellicosi regni, tre scettri regi.*
*Mà, al maggior rimbombo di vostro honore*
*Fa giustamente il' vostro valore*
*Regni, gl' animi altrui; scettri, l' amore.*

*Iacobus Mabbus Art. Mag. è Coll. Magd.*

EVropæ Phœnix crudeli morte peremta est,
Phœbus & amissam plorat, inanis avem.
Quid ploras ô Phœbe? ad te conscendit Elisa,
Iamq; tuus Phœnix Rex Iäcobus erit.
Ne fuge: tu decoras cœlestia corpora, Phœbe;
Illa sed in terris Regia lucet avis.

Al.

Aſpectuq; tuo incipiunt revireſcere flores,
Quos fera, conſtrictos frigore, preſſit hyems.
Nec minùs adventus regis florere Iacobi
Nos facit, & curis frigida corda fovet.
Ergo tuum modò Phœnicem vel Phœbe fatere,
Vel tuus in terris (credito) Phœbus erit.

*Tho. Iames Art. Mag. è Coll. Ædis Christ.*

SVnt nova cuncta; novum ver; & novus imperat aſtr
Phœbus, in Anglorum Sol micat orbe novus;
Noſter enim Princeps imitatur vtrumq; Iacobus,
Vt ver, dat pacis florida ſerta ſuis:
Vt Sol, diffundit radios virtutis amicos,
Cœleſtiq; Anglos ipſe calore fovet.
Sis precor æternum ver; & ſint aurea ſecla,
Sis nobis Φοῖβος, φῶς, ſimul atq; Clos.

*T. Loſtis Art. Magiſt. è Coll. Magd.*

Inclyte Rex, veterũ ſoboles celeberrima regum,
Et ſata de geminâ, ſtirps generoſa, Roſâ:
Pectora cui doctæ tenera effinxere Camœnæ,
Quem Charites ſancto ſuſtinuere ſinu;
Sedula quem blandis pietas amplexa lacertis,
Non paſſa eſt Latię lacte perire Lupę:
Cui beat antiquo Danorum ſanguine Regum
Edita, fœlices fertilis Anna toros.
Cui Deus implevit fœcundos prole penates,
Firmavitq; ſacram poſteritate domum.
Siderei tua ſceptra favor tueatur Olympi,
Floreat vt feſſâ pace beatus ager.

Sæva quibus, raptâ, Muſæ, timuiſtis Eliſâ,
Bella, fovent veſtras otia blanda Scholas.
Vtq; prius, Logicis fervent nova prælia telis,
Frangitur & rauco docta Cathedra ſono:

Vivite

Vivite securæ docto sub rege Camœnæ,
Vos colit, & vestras ille tuetur opes.
At vos, auratis qui figitis oscula signis,
Ossa qu bus putri rapta coluntur humo;
Quid vobis magnæ speratum funus Elisę
Contulit? egregium quid dedit ille dies?
Prisca viget pietas, vestris non illita fucis,
Vivaq; cum purâ relligione fides.

*Rodolphus Barlow è Coll. Cor. Chr. Art. Mag.*

VOce creat Regem, quem voto fecerat olim
Læta Caledonium turba Britanná Ducem.
Insula nam vario tandem Diademate fessa
Expetit imperium, tota (*Iacobe*) tuum.
Vt tua per plures se pandat gloria terras,
Fax toto Solis luceat vna polo,
Quam pretiosa parens, quæ Margaris, vnio dicta;
Nunc vnit terras, vt Pater ante Rosas.
En viduata manum deposcunt sceptra peritam;
Tu solus debes, arte præesse potes.
Orbi restituis Musas; sua præmia Musis:
Astra tuis; telis otia: templa Iovi.
Omen inest verbis: studiosus in arte, *Stuartus*:
Seu quod disponas, & tueare tuos.
Vive diu nobis; & sæcula sera nepotum
Imperio Regis redde beata senis.

*R. Andros Art. Mag. Ioannensis.*

QVò famam tua vita prius transmisit (Elisa)
Lurida mors animam transtulit astra super.
Sed neutram potuit mors carpere, carpere flores
Quæ potuit Roseos, stante Leone, tuos.
Nempe Leo (Regni quo non fœlicius vllum
Auspicium) addixit sceptra (Iacobe) tibi.
Macte igitur nostræ meritò spes altera terræ,
Et terror Romæ, quantus Elisa fuit;

Ful-

Fulgeat ô semper tibi fulgida stella Iacobi,
Fulgida iam nostri stella (*Iacobe*) soli.
O nunquam careas eius successibus (optat
Anglia) successor cuius in arce sedes.

*Io. Raulinson Ioannensis. Art. Mag.*

NOster Phœbus eras; tu cùm morereris, *Elisa*,
Extimuit noctem tum sibi quisq; bonus.
Occidit hic Phœbus; nec nox tamen vlla secuta est
Illud debetur, *Clare Iacobe*, tibi.
Qui nova lux oreris, mœroris nubila cuncta
Dispellens radijs, (splendide Phœbe) tuis.

*Epigramma in Exterum malevolum.*

SCilicet; egregiè declamas, *Angulus Orbis Anglia*, sic σκότος est Scotia dicta tibi.
Tu bene si spectes Anglos, non *Angulus Orbis*,
*Orbis* at *Angelicus*, Grammaticaster, erit.
Stulte quid illudis? Σκότος est tibi Scotia tota?
Illustrans terras hinc tamen ecce iubar.
Rex clarus, nostro iungens cum lumine lumen,
Obscurat vestri sydera cuncta poli.

*Tho. Cleyton. Art. Mag. Glocest.*

MIra canam: gentis Dominatrix dìa Britannæ
Expirans rursus spirat: defuncta resurgit:
Ecce novum in corpus dotes transfudit Elisa
Mutato sexu, mutato nomine tantùm.
Nam (*Regina*) tuæ virtutis imago Iacobus
Succedit regno, diademate cinctus avito:
Olli mens eadem est, eadem stirps, spiritus idem,
Religio atq; eadem: nil non te spirat, Elisa.
Vivas (ô ergò Princeps clarissime) vivas
(Sufficit hoc vnum votum) felicior Ipsâ.

*Douglas Castillion Art. Mag. è Coll. Magd.*

Quod-

QVodnam opus hoc maius potuit Moderator Olympi
Moliri, quam quod (saturam virtutibus, annis,
Atq; , vt fert sexus, mirandâ laudis abysso,
Nuper ad Elysios campos missurus Elysam)
Præ reliquis proavita capessere sceptra Iacobum
Et feudum Scoticum in fœdus mutare Britannum
Iussit? Erat Magnus certè, dignusq; corona
Septimus Henricus (qua princeps stemmate dextro
Stirpe cluit, Margaritâ pretiosior ipsâ)
Nempe sub imperio cuius Laniena Rosarum
Mixtura suavi concors coalescit in vnam.
Sic Angli iunxêre manus. Sed rege Iacobo
Vlterius gradimur. Nam tota Britannia iunctim
Firma nec invitis sociavit fœdera divis.
Ergò ruat Papæ triplex diadema necesse est,
Hic cum quadruplici niteat diademate princeps.

*Rich. Humfredus Art. Mag. è Coll. Magd.*

QVæ toties Romana cohors invidit Elisæ,
Et voluit fatis occubuisse priùs;
Rodere defunctam iam desinat vsq; si quiescat
Livor; & in vivis sit nova præda gulæ.
Vna quidem cecidit regina: suborta latranti
Non tamen vna seges, sed cumulata tibi,
Rex; coniunx: soboles numerosa, & regia proles:
Ilia iàm rumpas invidiosa cohors.

*Ioh. Bust Art. Mag. ex Æde Christi.*

ITe meæ lachrymæ: fateor, quodcunq; potestis,
Non satis est; tamen est hoc nimis: ite meæ.
Quid miser invideam fœlici? splendet in astris,
Et nova depressus pondera sentit Atlas.
Quid mirum, occiduis si *stella* immergitur vndis?
Mirum; Aquilonari est orta sub orbe *nova*.
An Σκότος, & tenebræ dederint tibi (Scotia) nomen?
Non: nostrum, extincto lumine, lumen eris.
Virgo tui stupor, exemplar mirabile Sexus,
Virgo vale: fœlix regna Iacobe tene.

Sco-

Scotia Te Sextum, Primum vocat Anglia: talis
Non hìc Sextus erit, non ibi primus erat.

QVem semper timui, nunc video diem;
Non qualem timui, aut Papicolæ *suum*
Appellent: video nunc alium diem,
Qualem optare mihi relligio fuit;
Fas sperare tamen vix fuit, impias
Per Fraudes hominum, per scelera, & dolos.
Perfundant animos gaudia, gaudia.
Aris cæsa cadat victima, victima.
Fœlix es, pia sis ô mea Patria,
Vt persites alijs invidiæ scopus.
Illâ quòd careas (patria) principe,
Hoc ingrata tuis in meritis putes.
Isto quòd frueris (patria) principe,
Non hoc in meritis stultior æstimes.
Circumfusa sonent tympana, tympana.
Sit cantata Deo gloria, gloria.

*In Parsonum, & Westonum.*

ANglia quæ fœlix toties, totiesq; vocata,
*Parsono* invidiæ materia ampla novæ,
Exultes, vt quem votis instare precatus,
Venisse insanus frendeat ille diem.
Et *Westone*, tibi rumpantur vt illia; venit,
Venit; &, vt tua sunt * vota, sepulchra vides. *In perorat. ad Acade.
Principis in tumulo, patriam cupis esse sepultam?
Conflagrantem vno, quæris vtramq; rogo?
Falleris, i demens; audi quæ patria mittit
Nuncia; *Vivo*, tuæ nec valuêre preces.
Vivo magis fœlix, nec tu mea fata videbis,
Sed tua sunt per me (pessime) fata mori.

IAm frequens nostris cadat agnus aris:
Angla gens vnum triplici leonem
Iunxit, & totum sibi fecit orbem
Sanguine nullo.

Quæ priùs longo dubioq; Marte,
Iunxit & florem valido Leoni,
Iunxit & florem miseranda flori
Sanguine multo.
Summa Votorum mea sit, *Iacobe*
*Vive*: concesso solidè fruaris
Orbe; promissa & numereris inter
Sydera serò.

*Theoph. Hyggons, Mag. Art. ex Æde Christi.*

HEnricus tantùm binas coniunxerat ædes,
At duo Iacobus maxima regna ligat:
Obtinet Henricus bello diadema Britannûm,
At diadema suum pace Iacobus habet.

Fallor? an occubuit Phœbus? nox nulla secuta est.
Mira cano, rediјt nunc sine nocte dies:
Occidit Elisabeth, lux ævi, gloria sexus,
Orbis amor, veræ relligionis honor:
Rex Iacobus adest, heù quantos illa dolores
Discedens dederat, Rex nisi læta ferens
Gaudia, pro lachrymis plausum, pro morte quietem
Donasses, nostri sola medela mali.
Diva Elisa Deo vivit, super æthera regnans:
In terris regnes Dive Iacobe diù.

*Ri. Eikins, Mag. Art. ex Æde Christi.*

OBsecro, quis novit Ver fortunatius vnquam,
Quũ duplex Phœbus cingat vtrumq; latus?
Scilicet Australi redeuns sol lætus ab orbe
Accedit terram fertilitate beans.
Nec minus illustrem misit Septentrio solem,
Qui Rex Angligenis relligiosus adest.
Hoc tamen intersit, redeat licèt alter ad Austrum,
Chare Deo & populo, maxime Phœbe, mane.

EST aliquid tanto populo gentiq; præsse,
In titulis tamen est laus ea parva tuis,
Quòd toto in populo non sit te doctior alter,
Qui possit tanto dignior esse loco,
Hoc inter monumēta tua est, laudesq; perēnes
Quæ nunquam scriptis eximat vlla dies.

VErum est? anne hilares fama benignior
Fallat? quod Dominus Scotię & Orcadū
Dignetur Britonas visere subditos?
Verum est, nec Britonas fabula decipit.
Cedatis procul hinc Thessalicę nurus,
Cedatis procul hinc Mænades invidæ,
Et quicquid nocuum est Tartarei lacus,
Adsitis propiùs numina Cælitum,
Adsitis Charites, & suboles Iovis
Magni, præcipuè Cecropidum dea,
Regi Palladio sis comes vt diu
Regnans incolumis, quam diutissimè
Musarum ipse decus fautor & optimus
Musis prospiciat numine prospero.

SPERASTI MELIORA. Deus MELIORA benignus
Contulit, & posthâc his MELIORA dabit.

*Samuel Baylye, No. Coll. Art. Mag.*

ANglia visa mori nupèr, non vlla salutis
Spes erat, infælix Anglia visa mori:
Quā grave vulnus erat? quam non sanabile? si non
Sanasset solus qui valet ipse Deus:
Ipse Deus medicus: Regem dedit ille Iacobum
Vnus & hic nostris est medicina malis.

*Gerardus Massye Mag. Art. è Coll. Ænea-nasensi.*

REx Invicte tuam gratus ad Angliam,
Venisti haud Scotiæ gratior inclytæ.
Audax Musa novi Lumina Principis
Tam fidenter obis? Sæpe minoribus

Extincta est acies fortior Ignibus.
Maiestate nitent omnia Regiâ,
Quam sprevisse nefas, ferre, piaculum:
Quin mens innumeris dotibus artium
Magnarum, & sophiæ muneribus piæ
Exculta artifices terruit optimos.
Atq; hic Musa gravem senserat obicem.
Sed nec χᾶις Malo Cæsar ab alite
Sprevit: Nec proprio munera pondere
Funguntur, Precium mens alacris facit.
Quin hic Ingenuis fructus in artibus;
Quos illæ egregijs dotibus instruunt,
Horum mollitiem mentibus induunt,
Et mores placidos, & faciles serunt.
Hæc spes fracta diu pectora surrigit,
Vt (cum mille bonis anser Oloribus)
Laudes nostra canat Melpomene tuas,
Effundatq; suum stridula gaudium.
Rex invicte, Tuam gratus ad Angliam
Venisti, haud Scotiæ gratior inclytæ.
Vicit præterito tempore; vicerit:
Haud posthac Scotiæ cedimus optimæ.
En devota tibi pectora tradimus.
Mentis, ingenia, & si preciosius
Mens quidquam Ingenij lumine viderit,
Rex invicte Tuam gratus ad Angliam
Venisti; haud Scotiæ cedimus optimæ.

SI quid in humano videt Attica Musa theatro
Dum duplici statuit regna beata modo,
Quando aut sceptra gerens sophiæ studet, aut gerit ill
Qui studet, imperio est Anglia (læta) tuo:
Cuius & Ingenium doctæ coluere sorores,
Et laudem sophiæ qui melioris habes,
Fama Caledoniæ, quam non modò nuntia Terræ,
Ad loca Tuedanis proxima vexit aquis:
Sed tua diffusum celeberrima scripta per Orbem
Firmarunt stabili relligiosa fide,

Hæc, tibi devoto quam tu, Rex, corde recondis,
Si data sit populo continuanda tuo,
Non erit auspicium cur Attica Musa ministret,
Suppeditet solidam cum Deus Ipse fidem.
Nam [a] Quicunq; Deum vero cumularit honore
Hunc vero Cumulat verus honore Deus.

a 1. Sam. c. 2 vers. 10.

ROmanus vno nomine infelix cluit
Alijs beatus plurimis Princeps modis
Quod ipse Princeps maximus, prudens, pius
Regni reliquit impium hæredem sui.
Elisa multis viva præfelix bonis
Superavit vno se tamen moriens bono,
Quòd Ipsa Princeps Nobilis Docta, & Pia
Alium reliquit Nobilem, Doctum, Pium.
Quantoq; sexus fortior vincit gradu,
Meliore victa est Princeps, & victa est solens.
Quam vera Phœnix morte Phœnicem creans!
Te (summe Phœnix) faxit æternum Deus:
Aut lege nato quando communi negat
Æterna fatum stamina: Hoc faxit tamen
Cineres reducant vltimi talem tui
Elisa qualem nostra Phœnicem dedit.
Nec vana votis spes micat temere meis:
Vivus dedisti subditis alium tuis,
Quem morte tantùm vera producit sua
Phœnix; Elisa Morte quem peperit sua.

Anton. Philoso. Commod.

Henr. Prin

MAxime, Cœlestis decreto vbi numinis alto
Anglia Principibus fluctuat orba suis;
En tibi, Materni dum linea vertitur ortus
Pervenit ad sacras Anglia læta manus:
Et tibi, qui patriam percurrerit ordine stirpem,
Inveniet pariles hac quoq; parte gradus.
Dicant qui veterum versant insignia regum
Cui stirpe Imperij Ius ab vtraq; datum est?
Hoc tibi Ius, Rex Magne, duplex qui tradidit vnus
Perficiat duplici prosperitate Deus.

*Iacobus Cooke Novi Coll. Socius In LL. Bac.*

*Allusio ad consilium piissimi Principis, ne filius ipse succedens, magnis Dominis vtatur intercessoribus. Lib. 2. Bas. Dwr.*

MEdiator an sit vllus?
Mediante quo Iacobum
Adeat, Thalia quærit:
Mediante quippe nullo,
Timet ipsa ne severus
Sua Princeps (vt merentur)
Minus apta dicta culpet,
Age, Musa, quid tremiscis?
Metuisne, ne severus
Tua, Princeps (vt merentur)
Minus apta dicta culpet?
Mediante quippe nullo?
Ceremoniosa Musa,
(Alia interim silebo)
Nimio timore peccas.
Ait ille Rex benignus,
Ait? immo scripsit, *Ipsi*
*Neq; filio placere,*
*Mediator vt sit vllus;*
*Magis hoc placere Papæ*
Vt vt est, (id obsecro, des
Veniam) Thalia semper
Timet alloqui Iacobum.

IN partes geminas secata mens est
Inter lætitiam piumq; luctum.
Vnquamnè vberior seges doloris,
Aut par lætitiæ reperta causa.
Eheu iam occidit, occidit Britannis
Princeps Elisabetha, virgo Princeps,
Tu pacem tamen, ô Deus, dedisti,
Donasti sine cæde vel tumultu
Regem, primũ, vtinã vltimũ, Iacobũ.
Non si Pierides mihi vocanti
Vellent vnanimes adesse, non sic

Pro-

Profectem numerum miser miserq;
Dignum lætitia, aut dolore tanto,
Hoc vnum tamen, ô Iacobe, dicam,
Plenus lætitia & dolore dicam
*Sol certe occubuit, sequuta lux est.*

*Allusio ad mutationem nominis Iacobi eiusq; rationem, ex Gen. c. 32.*

NI fallar; fuit Israël Iacobus,
Non fallor, fuit Israël Iacobus;
Cum sic prævaleas Deoq; & Anglis
Sis semper, precor, Israël, Iacobe.

*Henricus Iordan Soc. Nov. C. & in LL. Bac.*

TEmpus erat, quo *Virgo* cadens Elisa sequacem
Iustitiæ *Libram* occiduis propè merserat vndis.
Horrebant corda agricolis: nautæq; soluto
Astra Polo videre: deumq; in vota vocantes,
Astra suis stabilire rotis solidumq; precantur
Instaurare chaos. Cœlo Pater annuit alto:
Signaq; parva regens: geminum te, Magne Iacôbe,
Arcturum mundi, duplicatis viribus, orbem
Arctoum firmare iubet. Iamq; auspice tanto
Anglia Scotigenæ Cynosuræ iuncta, perennem
Conficiet (quoniam sic dij voluere) tenorem.
Scilicet hoc toties, vt sanguine mixta coïret
Insula, quâ pateat liquido circumsona Ponto,
Abnuerant atavis atavorum numina nostris?
An quia, quod neq; vota patrum neq; tanta tulerunt
Consilia; hoc, dono divûm, tua sola meretur
Invicti virtus animi, Veriq; tenacis,
Relligionis amor, divinaq; gratia vultus?
O patria, O Britonum decus ingens: Sydera seras
Evolvere vices, vtriusq; vt sanguine mixto
Fœdere compositæ gentis tandem edite Princeps
Frænares populum, regniq; in pace quieti

Eveheres, nullo decus æquiparabile sæclo.
Ecce tui populi, qui tandem tædia longæ
Excussere moræ votis communibus, omnes
Attonitis inhiant animis, pacisq; secundo
Omine coniunctis amplexibus, aurea retro
Secula ducta rati, vix dum sua gaudia captant.
Ecce tibi rerum, totos concussa per artus
Exvltat fremitu, inq: tuos conspirat honores
Natura. Oceanus refluis iam mollior vndis
Applaudit, laxatq; sinus, quò littora gentis
Antiquæ veteri renovato nomine iungat.
Ipse tibi crebris micat ignibus orbis; & astra
Motibus officiosa suis: visusq; Bootes
Ocyùs accelerare pedem, Taurusq; resurgens
Omniferum reserare auratis cornibus annum.
Salve, cura deûm: Arctoi Rex inclyte mundi,
Et nos et tua sospes adi pede regna secundo.
Qui nos vnanimes te tanto Rege beavit
Æthereus Pater, atq; animis hæc otia fecit:
Idem te solio stabili, diademate cinctum
Sospitet æternùm. Tibi floreat aurea proles,
Et consors regina thori. Nec sæcula tanto
Imperio apponant vllum felicia finem.

*Theodorus Gulson Art. Mag. è Coll. Mert.*

ROma obitū Nervæ siccis non vidit ocellis,
Anglia defunctâ moritur lugubris Elisa.
Abstersit lachrymas, Traiano Principe, Roma,
Anglia te exultat, te principe, tota triumphat.
Nervæ vt Traianus, sic tu succedis Elisæ
Nerva vt Traiano, sic cedat Elisa Iacobo.

MIra cano, accensâ Phœbeâ lampade, nox est
Mira cano, plorant Angli regnante Iacobo.
Mira cano, extinctâ Phœbea lampade lux est
Mira cano, Plaudunt Angli demortuâ Elisâ.

Cætera nascuntur, sed tu (memoranda futuris
Sæclis,) (heu) verno tempore, Elisa peris.
Non cupit interitus rerum natura, sed ortus,
Desino mirari, sceptra Iacobus habet.

*Thomas Baldwin ex Æde Christi Mag. Art.*

QVòd citus Arctoas iam sol festinet ad oras,
Iure equidem, solito maius id esse, reor.
Scilicet vt stellæ splendens eat obvius ortæ,
Quam verè æthercam terra Britanna colit.
Scotia dat stellam hanc, lucem dat stella; micante
A luce, haud tenebris Scotia nomen habes.
Ergò estote magi Britones; sapis Anglia? stellam
Hanc sequere, ad Christum nam meat illa suum.

*Gulielmus Norris Mag. Art. Æn.-nas.*

HActenus Arctoâ frigus spiravit ab orâ,
En vt ab Arctoo iâm venit axe calor.
Quæ ratio? Arctoâ iam Phœbus surgit in orâ
Hinc visens quas non viserat ante plagas.
Princeps magne tuum est sydus quod fulget in orâ
Arctoâ, tuus est qui venit indè calor.
Quòd sint vnanimes Boreali in parte Britanni,
Pristina quòd ponant bella, trucemq; necem;
Angli quòd fortes, Scoti, Brutiq; nepotes
Coniunctim vigeant, Magne Iacobe facis.

*Herbertus Theloal Art. Mag. ex Æde Christ.*

*In auspicatissimam, defunctâ principe Elisabethâ, Iacobi Angliæ Regis inaugurationem.*

QValis ab obiectâ soli tellure, micantem
Perdit in eclipsi Luna subinde facem:

Talis ab iniectâ terreni mole sepulchri
 Fulgorem amisit Cinthia nostra suum.
Ah quoties timui! Cadat hæc cùm Lampas, in Anglis
 Nox erit: at frustra iam timuisse scio,
Luna quod in Solem mutetur Elisa Iacobum,
 Regina in Regem, fœmina versa marem.
Quid nostras regum series voluisse tot annis
 Papa? et Reginam quid perijsse iuvat?
De gente Austriacâ (diadema tenente Iacobo)
 Possidet hic iuris nil Isabella tua.

*Simeon Iucks Art. Mag. ex Æde Christi.*

PLurima Iacobo constant miracula Rege
 Qui summo missus numine numen adest:
Incipit imperium quo *MENSE* incepit & orbis,
 Ac idem imperij finis & orbis erit:
Ille, vel illius stirps sera, recurret in orbem
 Dum vagus hic Orbis, sceptra Britanna reget.
Anglica regna *DIE* subit illo, vertitur *ANNVS*
 Quo *NOVVS*, & rectū hinc omne *NOVABIT* opus.
Cum *Iove* sceptra gerit, nam quâ regit orbibus *Horâ*
 Iuppiter, *HAC* nostro summus in orbe regit.
Cum *IOVE* sic divisa feret Diademata, cælo
 Iupiter, in terris hic pater almus erit.
Augutor hæc vates, & Phæbus in aure susurrat
 Magna licet, tamen est hæc tua vera fides.

O nimium dilecta Deo gens Anglica, regem
 Quam tibi divinum secula læta ferunt!
Aurea Saturno viguerunt secula rege,
 Tum fuit in terris inviolata fides:
Rursus ab integro tibi *Magnus* nascitur *Annus*,
 Aurea Iacobo principe secla fluunt:
Aurea fert Aries tibi tempora Martius, olim
 Qui, duce Saturno, talia secla tulit:
Sic cum Iacobo Saturnius orbis, & ætas
 Cumææ senis, & cælica virgo redit.

Te,

TE, Iacobe vides, lætentur vt omnia rege,
Scotus vt exultet, Camber & Anglus ovet?
Scotus & Anglus ades, sic Camber & Anglus, & vnus
Nomina terna tenens, hic tria Regna tenes:
Tres tria regna ferunt fratres habuisse, sed istis
Dijs maior tantis, tu tria solus habes.

*In Henricum Regis Iacobi filium natu maximum.*

CErnis vt ingreditur spolijs *Henricus* opimis
Assulgens, vt victor avos supereminet omnes!
Quæ spes sunt? *Instar* quantum virtutis in ipso?
Hic res Angliacas, & sceptra Britannica sistet:
Sternet Romanas acies, Turcasq; prophanos
Vincet, ne qua doli maneant vestigia tanti,
Victor & arma patri suspendet capta Iacobo.
Quantus erit gemitus victâ Mavortis in vrbe,
Et quam magna lues? Tybris, quam crebra videbis
Funera? quos tumulos circumlabêre recentes?
Clara satis terrâ, & cælis erit Angla propago,
Si dederint Anglis hunc canum fata, vel annos
Vltra Nestoreos, vel secula longa Sybillæ:
O Superi faxint hæc dona perennia nobis.
Nam puer Angliaco nullus de stemmate, tantâ
Aut tulit, aut spe tollet avos, nec principe quondam
Vllo se tantum gens efferet enthea Bruti:
Hic puer heroum laudes, & gesta parentis,
Et magnis atauûm virtutes exprimet actis,
Æternâ Anglorum solvens formidine gentem:
Quo reget imperio patriâ virtute Britannos
Pacatos, rursus magni remeare per Anglos
Incipient anni, rursus nascetur & aurum,
Desinet & ferrum, ferroq; nocentius ævum.
O pietas! ô sancta fides, & Martia bello
Dextera? non illi quisquam sese obvius armis
Offeret impune, aut pacis præstabit honoré.
Hic *Henricus* erit, date lilia, spargite flores.
O mihi tam longæ producant stamina vitæ

Con-

Concordes Parcæ, tantùm mihi spiritus adsit
Vltimus, vt possim tua regia dicere facta.
Non me Mæonides divino carmine vincet,
Nec me Threicius superabit cantibus Orpheus.

ROma triumphati, sed falsò, diceris orbis
Esse caput, te ducit ovans gens Angla triumpho
Auspice Iacobo, tua qui deliria nocte
Obruit æternâ, Quam vera Sybilla fuisti!
Nam modò Roma ῥυμὴ fiet, modo temporis ætas
Vltima Romani venit: nec tendere contra
Sufficias, superat Deus, & tu Roma peribis.

SIccine Romanum terris fatale regendis
Nomen? Romuleá sic orbis in vrbe moratur?
O veri vates, & conscia fata futuri!
Cum nec fata sinant, nec Dij voluere, nec ipsa
Speret Roma, diu Romanum vivere nomen.
Crescet spica, ferax vbi Romæ gloria crevit,
Et duce Iacobo, ruet alto culmine Roma.

PAx nuper Musis cum Marte, moratur in Anglo
Principe Musarum lepor, & Mavortia virtus:
Phœbi plaude genus, velle modò regnat Apollo:
Martis plaude genus, modò Martius imperat Heros.

*Tho. Baugh in Art. Mag. ex Æde Christi.*

DIj patrij tutelareis Diviq; patroni
Indigites, quibus alma recens accessit Elisa
Deprecor, ô, si quid pietas & vota valebunt,
Aut valuere vnquam; petit orba Britannia Regem.
Lenta Caledonia spes nostra, Iacobus, in ora
Permanet; hoc servate caput, quantumq; moratū est
Solvite. adoratas cecidit plebs omnis ad aras
Et procerum sacer ordo pijs (cœlum omne resultat)
Supplicijs exposcit idem, Dimittite Regem
Ecquis enim gemitus ex morte cadentis Elisæ?

Quis luctu immersis potior derterserit imbres
Luminibus, mœrorem animis, aut nubila fronti?

*Ode*

O quæ Calendis septima Aprilibus
Præcedis, albâ digna dies notâ,
Bis fausta bis festa, orbi & vrbi,
Nuntia virgineiq; partus,
Porro auspicati nuntia Principis,
Tot liberatæ cladibus insulæ,
Divæ ex recessu quas minata est
Ira Dei, nisi victa, genti,
Votis Tonantem flexibilem pijs
Sperate deinceps; profuerit labri
Tus obtulisse (vota) vivâ
Pectoris, & lacrumas, in arâ:
At virginalis quæ benè prolis es
Annuntiatrix, haud ita mortis es:
Ter imò fausta, facta *Diva*
Testis & huic populo *Patrona*.

*E. M. Gen.*

QVod non Henricus fecit *Propatruus* olim,
Ius vt vterq; colat Scotus & Anglus idem:
Hoc iam perfecit de stirpe *remotus* eâdem,
Etsi ętate minor, maior honore, *Nepos*.
Vnum ergo faciat quòd tota Britannia regnum,
Vni quòdq; libens pareat illa Duci,
Magnus iure tibi à nobis (ter maxime Princeps:)
Pace quòd hoc fiat, maior habendus honos.
Nec tamen ob pacem plebi te credito charum,
Propter te plebi est pax magè chara tuæ.

Anglia cùm tibi iam, Princeps Auguste, triumphos
Innumeros pro aucto debeat imperio,
Fortunas pro pace, laresq; Deosq; penates:
Plus debet, quòd sit relligiosa tibi.

Nobis

Nobis Homerum vt redderent Musas rogans
Qui clara nostri facta Pelidis novi
Novâ caneret Iliade; responsum tuli,
Vester ni Achilles faciat id, nemo potest.

*Th. Thorneton ex Æde Christi Art. Mag.*

ANglia si fœlix cum sceptra capessere cœpit
Septimus Henricus post fera bella domi,
Quantò nunc meruit dici fœlicior, ipso
Auspicio imperij (Magne Iacobe) tui?
Ille dedit tantùm finem civilibus armis,
Et benè composuit prælia cœpta malè.
Tu nuper metuenda, Deo fautore, cruenta
Prælia ( quod melius) non finis incipere.
Pacem illam fecêre duo tum stemmate in vno
Coniuncti flores, *alba rubensq; rosa.*
Pacem hanc conservant duo regna vnita sub illo
Stemmate, quo (illustris Rex) oriundus eras.
O igitur maneat pax alma, & semper vtrâq;
Iuncta simul vigeant vtraq; regna rosâ!

*Ad Papistas,*

En quo vos (stolidum pecus Papistæ)
Perduxit malefida spes. putastis
Turbasse placidam Angliæ quietem.
Sic vester Papa iusserat, Philippus
Sic iuraverat, & locusta abyssi
Iesuita impius artibus dolosis
Sic persuaserat. ecce quò tamen res
Acta est. illa dies cupita tantum,
Vobisq; aurea sæpius vocata,
Iam versâ vice subditis Iacobi
Fidis aurea nascitur, misellis
Vobis plumbea facta. Nam stupetis.

*Norwicus Spackman Art. Mag. ex Æde Chr.*

Funus

FVnus, Elisa, tuum siccis qui spectat ocellis,
Crediderim rigidas hunc aluisse feras.
Qui non lætatur tua sceptra vidêre, Iacobe,
Hic lapis, hic caudex, hic mihi truncus erit.
Scilicet & doleat, simul & lætêtur, oportet,
Qui benè, præstandum quicquid vtrinq;, videt.
Nolo hominem, rebus penitus qui non dolet ægris:
Quive animo grato prospera ferre nequit.

Quantus erat Nemeæ plausus, vel clamor Achivûm
Cum caneret præco libera colla foro:
Et medio corui exanimes cecidêre theatro,
Cumq; metus, nè dux opprimeretur, erat:
Tantus vbiq; fuit nuper per compita plausus
Clamantis populi, *Vive Iacobe diu.*
Vox eadem repetita iterumq;, iterumq; placêbat,
Cantio vti dulcis, mellifluumve melos.

Fundit humus flores: vestitur frondibus arbos:
Lætificusq; suas promit Aprilis opes.
Luxuriant segetes in agris, & gramina campis:
Cantibus assiduis æthera mulcet avis.
Omnia florescunt, neq; non florescere possunt,
Gratariq; tuum (Rex) diadêma tibi.

Infortunatos dixisse Corinthius olim
Fertur, Alexandrum qui non vidêre sedentem
In solio Cyri: sed multo veriùs illos
Infortunatos dices, qui lumine cassi
In solio *Henrici* non conspexêre Iacobum.

*Stukeley Bluckard in Art. Mag. è Coll. Mert.*

Murus pi-
cticus.

TAm malè quod Scotos olim summovit ab Anglis,
Dic mihi, quid toties, Roma, reponis opus?
Terminus hic steterit Deus; in regnum tamen vnum
Hæc duo vult maior regna coire Deus.
Ne dubites, nostro misceri, en vidimus ævo;
Inq; hoc inq; illud sceptra Iacobus habet.

Ius

Hinc mundi & aurei ſeculi initium.

Ius tibi Phrixæo regni numeramus ab auro:
Aurea ab hoc naſci ſidere ſęcla volunt.
Ius tibi firmatum eſt vernanti à ſidere Tauri,
Firmari à Fixo ſidere regna volunt.

Nondum hîc ventilat inſolens cruentum,
Quod Muſæ metuere, Iberus enſem:
Non hîc Italicus ſuis ſacerdos
Plebem faſcinat artibus ſupinam:
Non à ſtipite ſanctitas patronos
Mæret fundere ſpiritus in ignes.
Iſtos expedit vnus hic tumultus:
Iſtos expedit vnus hic timores.
Et quamcunq; aliam libido demens
Regno ſævitiam pararat orbo
Hic, quem numine Margarita dextro
Scotis Angla prius dedit, viciſſim
Orbis Scotia nunc dedit Britannis.

Ne quid Hyperboreo nobis metuamus ab orbe
Inde erit Anglis Scotia murus.
Neve quid Auſtrali metuat ſibi Scotia ab orbe,
Hinc Scotis erit Anglia murus.
Ne Scoti à Scotis, Angli lædantur ab Anglis,
Te Scotis Deus, & dedit Anglis.

Nempe ſuo fas eſt *Muſis* ſervire Iacobo,
Vt quàm nunc Regno, tam ſit & ore potens.
Aut puto, qui magis eſt Phœbo Muſiſq; diſertus,
Ad ferulam in doctas hinc vocat ille Deas.
Cum te, cum per te Phœbo Muſiſq; caremus,
Ignoſce in nobis, Magne Iacobe, tibi.

*Robertus Pincke Art. Magiſt.*
*Nov. Coll. Socius.*

*Votum*

*Votum pro fœlicissimo serenissimi Principis Iacobi Sexti in Angliam adventu.*

INvideo Scotiam Iacobo, non tamen odi,
Terra mihi satis hæc, quæ (Tibi) cunq; placet.
Sed tamen atq; odi, si reddere differat illum,
Qui mihi vel geminis charior est oculis,
Quem plus quàm lucem hanc dilexi, quamq; salutē
Ipse meam, pro quo sæpè iuvatq; mori.
Redde mihi Gentis Custodem, redde Iacobum,
Sera dies nimis est crastina, redde hodiè.

*Rob. Barnes. Art. Mag. è Coll. Magd.*

*In Anglo-Scotorum Regis Numisma & Insignia.*

C*Arduus* quondam magè vilis algâ,
Nunc supra cunctas *Benedictus* herbas,
*Iridis* hortorum decori supremo
Cedere nescit.
Fortis & *Gallum Leo* qui timebat,
Nunc iubam erexit metuendus hosti
Vnguis huic acer; cave. *Nullus illum Impune lacessit.*
Qui *Deus Iacob*, tueare nostrum
*Carduum* intactum, simul & *Leonem*;
Te *Deum* vt *Iacob* fore, tùm fuisse
Iudicet orbis.

*Brianus Holled Art. Mag. è Coll. Magd.*

QVi cecinit (Sol occubuit, Nox nulla secuta est)
Si posset meritò dicere, Mira cano:
Et canimus nos mira, quibus sol omnia lustrans
Occubuit, sed nox nulla secuta fuit.
Scilicet occubuit sol noster, Elisa nec eius
Fecerat occasus deperijsse diem.

Nam.

Nam licet occiderit ſol noſter, Eliſa, Britanno
Non deerit populo, te dominante, dies.

O regum decus vnicum, piæq;
Turbæ gloria, quam omnibus refulget
Doctrina, integritas, nitor loquelæ,
Virtus, relligio, tuiq; mores!
Mirum eſt quòd celebret ſenum ſenatus,
Et plebs te decoret lubens honore,
Quùm tanto fueris honore dignus,
Quantum Scotia vel rependit vnquam,
Vel tibi Anglia poſteà rependat?

*Anton. Barker Art. Mag. è Coll. Novo.*

MIrum: vere novo perijt flos, charior illis
Luminibus, vitæ quæ moderantur iter.
Mirum: vere novo ſurgit flos, charior illo
Corde, quod innato membra calore fovet.
Mirum: vere novo perijt flos, gratior illo
Melle, quod in ceris attica fingit apes
Mirum: vere novo ſurgit flos, gratior illo
Sole, ſolet nitidus quo remeare dies.

*A. Adams Art. Mag. Coll. Æde Chriſti.*

ASſuetum imperio regem acceſſiſſe Britannis
Fœlix auſpicium eſt; ſceptra Iacobus habet:
Quem ſua commendat mitem clementia regem,
Qui didicit facili ſceptra tenere manu;
Et ſua commendat iuſtum prudentia regem,
Qui ferus eſt, quoties cogitur eſſe ferus.

*Aliud*

Sol oriens radijs Anglorum reſpicit oras;
Aſpicito ſolem terra Britanna tuum:
Et medium rumpat, ſi cui ſint vota, cadentem
Vt videat ſolem, terra Britanna, tuum.

*Rob. Say Art. Mag. Nov. Coll. Socius.*

SIccine grandævam rapuerunt Fata Minervam,
Vt sit Castalij præses Apollo chori?
Ergo Helicon(Iacobe) tuus, tua cura Camænæ:
Nam tu Phœbeum fundis ab ore iubar.
Per te Castalidum vitreo torrente superbit
Vnda: licet per te nunc Helicone frui.
Suscipe devotas vni tibi suscipe Musas:
Non levis ista tuæ laurea pacis erit.
Sic tuus æternùm tibi Flos(Iacobe)virescat,
Et Leo inauratâ fulgeat vsq; iubâ.

*Alia.*

NE daret Eclipsin germano Cynthia Phœbo,
In terram vultus abdidit ipsa suos.
Et ne(Dive) tuum iubar obscuraret Elisa,
In tenebras proprium condidit alma diem,

*Alia.*

Anglia quòd Scota est, quòd Scotia facta Britanna,
Vtraq; *Steuarto debet* vtrumq; suo.

*Valentinus Morley in LL. Bacc. Novi. Coll.*

*Chronogramma.* De. 36. *annis regni regis Iacobi in Scotos iuste completis, è numero literarum in stilo suo præsenti extractum.*

IACOBVS, REX ANGLIÆ
1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12.13.14.15.16.

PRIMVS, ET SCOTIÆ SEXTVS. (34.35.36:
17.18.19.20.21.22.23.24.25.26.27.28.29.30.31.32. 33.

CVM nova forma stili veteris compleverat annos
Imperij iustos, Regnum (res mira)capessis
Ipse novum, siquidem numerantur grammata in ista
Ter duo, terq; decem, totidemq; videntur in illo
Anni, qui vt crescunt, titulus tibi crescat in omnes
Europæ terras, et cùm finiveris huius

Imperium Mundi, Regnum cœleste capessas,
Cuius forma stili concludi grammate nescit.

*Geo. Hakewill Coll. Exon. Socij*

Cum Phæbus gremium Oceani se immergit in vdū,
Et sua defessis lora remittit equis,
Quis non Cimmerias solet expectare tenebras,
Et mala quæ cæcæ tempora noctis habent?
Occiderat nobis Phœbus, nox nulla sequuta est:
Fulsit ab occasu sed magis alma dies.
Scilicet hinc minima contenti nocte Britanni
Dicimur: Angle novi hoc munere solis habes.
Quodq; magis mirum est, hic Sol consurgit ab Arcto,
Et facit a Borea, non Oriente diem.

IAM tandem fateor procul volavit
Hinc Astræa, suos reliquit Anglos,
Et Libram sedet inter & Leonem
Vere (iam fateor) pndica virgo.
At cum cedere virgini Leonem
Naturæ solitus requirat ordo,
Nostram cedere Virginem Leoni
Naturæ dominus Iehova iussit,
Et cessit placido volens Leoni,
Et Libram comitem dedit Leoni,
Qui iunctim regerent suos Britannos.

*Henricus Sheward Æuea-nas. Art. Mag.*

NVgis da veniam, Iacobe, nostris,
Turba dante tuæ serenitati
Fructus, mumera, pectoris sereni,
Instructus folijs, ferax papyri
Nectam versiculis tibi coronam,
Fortasse hæc etiam placere serta
Possunt, regia dum placet corona.
Rebus, qui referunt Deum, putamus
Et Musis pariter vacare posse.

Po-

POma dat Alcinoo,qui dat tibi carmina,Princeps:
Cinctus es in numeros viribus innumeris.
Quales non Cyrrhea movens secreta,sed indit,
Quem tu sæpè soles sollicitare,Deus.
Sic,ô sic, memini soboles Iessæa solebat:
Sic,memini,vates, regius ille fuit,

FActurus regem pecudi sine mente Iehova
Et Similem Nobis,&,Faciamus,ait.
Et regem,Anglorum populo cum mente daturus
Aut ait:aut illud prestat vtrumq; Deus.
Concilium certè vocat, accelerātq; vocati
Et Bonitas & Amor totaq; dìa cohors.
Hinc regi Divûm similem fecere Iacobum,
Et Divum,illius nominis ante alios.
Quæ Fastis novitas? nam non comitante Philippo,
Solus habes festum, Dive Iacobe, diem.

*Edwardus Evans Art. Mag. è Coll. Novo.*

*Iacobus Anglorum, & Scotiæ Rex*
*serenissimus*
*Anagrammatismus.*
*Nos, Orbis, Ecclesia, musarum axes, in tuto, geris:*

ALme Iacobe geris Musas,Ecclesiam et orbem,
Et nos principio separatos orbe Britannos.
Mentis inest penetrali Ecclesia,pectore mundus,
Ingenio Musæ,manibus nos,omnia tuto.

QVis venit clarus Boreali ab axe
Fulgidos vultus Iovis, & deorū
Ora,candorem referens Minervæ
Pectore toto?
En venit.cœli titubantis axin
Qui ferat nostri,reparetq; cladem.
En gerit binos humeris Olympos
Maior Atlante.

En venit clavâ, simul & leone,
Monstra queis purget rediviva nostro
Seculo, & victum moderetur orbem
Hercule Maior.
En venit lauro redimitus, arcum
Gestat, & plenam pharetram sagittis,
Te, quibus perdat, scelerate Python,
Magnus Apollo.

VIvas ô celebris dignus Apollinis,
Vivas ô celebris dignus & Herculis,
Atlantis gemini dignus honoribus
Vivas; nam gemini munera sustines.
Et sicut geminat regna tibi deus:
Sic vitam geminet, sic geminet decus,
Virtutes geminet, donaq; singula,
Vt regem geminum principe in vnico
Fœlix obtineat nostra Britannia.

*Thomas VVynnyffeus Exoniensis. Art. Mag.*

*In adventum Iacobi Angliæ*
*Regis illustrissimi.*

ACcede, ô Reges non ementite parentes,
Publica te Anglorum vota precesq; vocant.
Nec te sollicitet patriæ iactura relictæ,
Fallor? an & patria est hæc quoq; terra tibi?
Si series stirpis, longúsve propaginis ordo
Quæritur, hîc generis pars quoq; magna tui est.

*Aliud.*

NOstra putabatur tua mors, Regina, futura,
Visaq; relligio est commoritura simul.
At regnante, iacet spes hæc præcisa, Iacobo:
Et nihil vlterius Roma, quod optet, habet.

*Aliud.*

MIra, at fausta metempsuchôsis; Elisa Iacobus
Facta est, magnificũ hoc: regnũ animamq; dare.

Ille

Ille quid? vt magno compenſet munere munus,
Sic, regnas, ait, & mortua non moreris.

*Aliud.*

SCotia ſextum habuit, te nunc habet Anglia Primum,
Vtra tui, credis, flagrat amore magis?

*Aliud.*

SIC ſolem poſſe occidere, vt nox nulla ſequatur,
Credibile hoc vatum credula turba negat.
Ergo ego mira, at vera canam, ſol occidit Anglis,
(Splendidi enim ſimilis ſolis Eliſa fuit)
Nec nox incubuit, ratio eſt, ſol alter obortus,
Irradiat vultus cuncta, Iacobe, tuus.

*Aliud.*

COncedens fato conceſſit regna Iacobo
Regina. anne Anglos mortua deſeruit?

*In verbum ipſius.*

EſSe volunt alij quod non ſunt, inclyte Princeps,
Hæc tua ſed vox eſt, *Tu quod es eſſe velis*
Nempe alij nondum tetigerunt ſumma, petendo,
Culmen honoratæ tu pietatis habes.
Forſan & in plures olim dominabere terras,
Sed pius, & victor, tu quod es, eſſe velis.

*In aliud ipſius verbum.*

OPtima cum teneas, *ſperas meliora*, quid hoc eſt?
Orbis Iacobus flagrat amore novi.
Et meritò flagrat: nam quos ſibi ſubdidit orbes,
Imbuit æterni relligione Dei.
Ergo Deo vincit, vivit, regnatq; potenti,
Quiq; Deo regnat, ſervit & ille Deo.

*Aliud in Leonem ipſius.*

OLim tremendi fortis Iacobi Leo,
Linquens Caledonium nemus,
Indixit Aquilis Roma certamen tuis
Vicit, fugavit, expulit.
Quæ ſingulari nuper in pugna minor
Impar eras certamini,
Contra Leones quatuor nunc inſilis?
Contra Iacobi numina?

Hic nomen Israëlis antiquum obtinet,
Et Israëlis gratiam.
Non vincet homines, ille qui vicit Deum?
Quem protegit Iudæ Leo?

CVR ego te orbatam aut donatam principe dicam
Anglia? nam imperij est non nova forma novi.
Nominis & sexus facta est mutatio, at istud
(Cætera enim paria, & mens manet vna) parum est.

VNâ & eâdem hora, cælum te, regna Iacobus
Cepit, solamen mortis, Elisa, tuæ.
Sic solet è patrio redivivus funere Phœnix,
Ferre humeris cineres inferiasq; patris.

MAgnanimis Anglis Mavortia pectora Scotos,
Adventus iunxit fama, Iacobe, tui
Bellum hunc, ô superi, nunquam divellat amorem,
Turbida nec possit solvere seditio.

QVā bene ab antiquo descendis stēmate Princeps
Vt gemines animi nobilitate genus?
Quicquid in Henrici laudatur origine, totum
Hoc quantumcunq; est crede, Iacobe, tuum.
Quicquid habet Danus iūctus tibi, quicquid & Anglus,
Cætera quicquid habent nomina, solus habes.

ELisabetha, tibi vt benedictio cederet vni,
Ex asse hæredem te iubet esse suum.
Sic iusta Esavis prærepta querela, Iacobe,
Tu potior iure es tempore tuq; prior.

FLos muliebris obit, succedit gemma virorum,
Anglis consuluit facto in vtroq; Deus:
Quin nos absorpsisse putemus gaudia luctum,
Angli vt concelebrent factum ob vtrumq; Deum.

*Guliel. Hall Art. Mag. Novi Coll. Socius.*

QVE quondam miseris agitata Britannia turbis,
In binas dissecta rosas, albamq; rubramq;,
Civica Civili confodit viscera ferro,
Bellis lassa, rosam tandem coalescit in vnam.

Hanc

Hanc fælix aluit dum tellus Anglica, flores
Quatuor * emisit: sed tandem emarcuit. Et iam
Orba, rosæ veteris quærit nova germina: germen
Protinus ecce nouum Scoticis emergit ab oris.
Pace rosam iunxit fælix Henricus vtramq;;
Pace rosam servet fælix Iacobus vtramq;:
Fælix Henrici soboles (Iacobe) tuorum
Æternùm imperio celebri potiaris avorum.

*Henr. 8. Edward. 6. Mari. Elizab.

*Arthurus Ducke Art. Mag. ex Aula Cervina.*

## ANAGRAMMA.

D. IACOBO *I. potentiss. Britanniæ Maioris Monarchæ.*

*IACOBVS REX ANGLIAE.*
*GLORIA, AC AB AXE VENIS.*

FLOS Regum; Placeant alijs dicteria vana,
Quisq; etenim genio ducitur vsq; suo:
Te tamen oblectat divino Numine fixum,
*Pura fides, Pax, AC GLORIA AB AXE VENIS.*
Gloria ab axe venit, vero nil verius vnquam,
Dona, inquam, bona, sunt Dona superna DEI.
Non tribuunt gazæ, bona nec generatio *REGEM*;
*O REX*, te nobis donat *AB AXE* Deus.
Macte igitur Cœlestis Homo, ter Maxime tecum
Hæc reputa, quòd sis *REX*, quòd *AB AXE* datus.
*REX*, et *AB AXE* datus? quid non mortalia cogis
Pectora? Tum *IOVÆ* dogmata sacra colant.
Dogmata sacra colant, penitùs dispelle Papatum,
*REX* es, nec tantum *REX*, sed *AB AXE* datus.

*Aliud.*

*D.* HENRICO---FRIDERICO *sereniss. Scotiæ & Cambriæ Principi.*

*HEINRICVS-FRIDERICVS.*
*VIRENS HIC, FIDE CVRRIS.*

INsignis, Regum prognatus stemmate, Princeps,
Magnus es, antiquæ Nobilitatis honos.

Quâ te voce canam? Gentis Spes altera nostræ,
Atq; Britanniaci gloria summa soli.
Missus *AB AXE* venit Pater, at tu *CVRRIS* ad axē,
Lætus oves! Felix cui comes alma *FIDES*.
Ingenio, genioq; *VIRES HIC*, auspice Christo:
Qualia sunt, Princeps, quæ tibi terra dedit!
Pandit iter cœleste *FIDES*, tu *CVRRIS* ad astra,
I, quâ cœpisti Celsus ad astra *FIDE*.

*GABRIEL POVELVS ORDOVIX BRITANNVS*
Davidis F. *ex aulâ B. Moiæ*.

Μοῦσαι Πιερίδες μοι τίκτουσι ΠΙ'ΝΔΑΡΟΝ ἄλλον,
Ἄλλος ἐπεὶ ΙΈΡΩΝ στέμμα Βρετανὸν ἔχει.
Ἡμέτερον γὰρ Ἄνακτα καλῶς ΙΈΡΩΝΑ καλήσω
Ἄνδρα γεραφῶν ΙΕΡΩ͂Ν ἰδεῖν, Ἄνακθ' ΙΕΡΟ'Ν.

Πνευματικὸν Χριστοῖο ΝΕΜΩΝ, Ἄνα κεδνότατ', ΟἿΚΟΝ,
ὈΙΚΟΝΟ'ΜΟΣ τε καλῇ, ὈΙΚΟΝΟ'ΜΟΣ τε πέλῃ.

Esse animas vni plures, vel pluribus vnam,
Demiror Physicas velle negare scholas.
Rexit enim quondam populū mens trina Britannū,
Quem tamen, atq; alios iam regit vna duos.
Et regat illa diù populum mens vnica trinum,
*Trino-vni* ex imo pectore fundo preces.

*Bruma novi prima est, veterisq; novissima Solis,*
Dùm dicis, nullam, Iane, merêre fidem.
Ver etenim, non Bruma fuit, quo tempore nobis
Sol fulsit, veteri Sole cadente, novus.

Te (Princeps) patriæ auspicijs felicibus orto,
*Penè tuo toties excisa Britannia ferro,*
*Pone metum, æternam spondent tibi sidera pacem,*
Vatis carmina erant, & erant præsagia Vatis.
Nam quibus æternam, te nato, sidera pacem
Spondebant, alium nacti Solomona Britanni

Assore

Affore perpetuam ſperant, te Principe, pacem,
Aurea compoſitis redeant vt ſecula bellis.

O Vtinam noſtro (Rex inclyte) vivere poſſes
Carmine, carminibus vivis vt ipſe tuis!
Carmine ſic noſtro foret ære perennior omni
Gloria, carminibus perpetuata tuis.

*Ioannes Yonge Art. Bacc. Nov. Coll. Socius.*

FElix ſi populus, præeſſe fortem
Cui natura dedit benigna regem;
Felix ſi magè, cùm Minerva doctum
Regnantem facit, omnium beatus
Si ſummè populus, tenente clavum
Regni principe, quem Deus ſupremus
Inſigni pietate ditat; O quàm
Felix Anglia, quàm beata noſtro
Iacobo duce principumq; Rege!
Fortem ſplendida præbuit Parentum
Virtus, Pieriæ imbuêre Muſæ
Doctis artibus, addidit ſacratam
Rector Cœlicolûm piamq; mentem.
Te ornatum triplici (verende Princeps)
Dono, iam triplicis Deus benignus
Donavit diadematis decore:
Vox ergo populi ſonet canora
Linguis, vos triplicis ſed vna clamet,
Vivat Rex Patriæ pater Iacobus.

*Guil. Pearce Art. Bacc. ex Æde Christi.*

DEſine Reginam fato deflere peremptam
Anglia, quæ lachrymis non redimenda tuis.
Quod diadema ſuum teneat ſine lite Iacobus,
Iſta tuis faſtis annumeranda dies.
A proavis vtriq; ſacram petiêre coronam;
Hic deus eſt almæ pacis, vt illa dea.

Fœmi-

Fœmina consilijs populum servavit, & armis,
 Vtrisq; imperium proteget ille suum.
Fœlix in triplici fuit Anglica terra Leone,
 Sit precor in quarto fausta Leone magis.
Sic tanquàm vnus homo (Princeps) tua regna manebunt,
 Quorum tu caput es, nos tua membra sumus.
Sic, sic florebunt spectacula quatuor orbis
 Regna, sub imperio multiplicata tuo.

*Fran. Blundell Art. Bacch. ex Æde Christi.*

SIccine? sunt pietate pares Angliq; Scotiq;?
 Sunt linguâ, imperio, nomine, rege pares?
Sunt: & amicitiâ, virtute, fideq; decenti:
 Dic mihi quid restat? non sumus ergo pares?

*Io. Blithman Art. Mag. socius Coll. Trin.*

FAta olim cecinit morituræ si quis Elisæ,
 Augur erat fati visus hic esse sui.
O quam disparili fiunt tamen omnia casu?
 Iudicat humano quàm ferè quisq; modo?
Bella, tumultus vbi, vel vbi discordia fratrum?
 Conspurcatus vbi relligionis honos?
Vna salutiferi fit mentio nuda *Iacobi,*
 Anglia conceptos deposuitq; metus.
Macte igitur, longum servans (Rex magne) per ęvum
 Teq; tuis Anglis, Anglaq; regna tibi.

*Tho. Iohnson Orialens.*

QVi *sperat meliora* Rex Iacobus
Flores, & rigidum gerens Leonem,
(Pacis symbola, turbidiq; Martis)
Quid speret melius, quid altiusvè?
Pulchros at cupit, integrosq; flores,
Tres & magnanimos cupit Leones,
Quos fert Angligenûm benigna tellus,

Ergo

Ergo nunc capiat Leo Leones,
Mutent & pariter suos colores.
Divisi priùs, integriq; fiant
Flores, regna duo pariq; nexu
Vnum constituant idemq; regnum.
Hanc pulchram benè fecit vnionem
Qui *sperat meliora* rex Iacobus.

*Correctio.*

Fallor; Non rigidos cupit Leones,
Non pulchros cupit integrosq; flores,
Non regum titulos, nec ipsa regna,
Qui *sperat meliora* rex Iacobus;
Fallor: Rex pius, altiora sperat,
Et cum cœlicolis beata regna.

*Georgius Warburton Æneanas. Coll.*

ILle dies in quo Reginam amisimus, ille
Nobis (sicut erat) semper acerbus erit.
Ille dies quo nos *Iacobum* accepimus, ille
Semper honoratus (Dij voluistis) erit.
Ille dies Anglos vnus deiecerat omnes
Vnus deiectos erigit iste dies.
Dissimiles ambo; memoratu dignus vterq;
Ille mali nobis, nuncius iste boni.

Nemo erat in terris Reginâ dignior astris,
Ergo *Reginam* cepit in astra Deus.
Reginæ sceptro, Te præter, Maxime Princeps
Dignus erat nemo; sceptra dat ergo Tibi.
Fœlix sorte Tuâ, possis non cedere Elizæ,
Gaudia si nobis, quæ dedit illa, dabis.
Nec dubitare licet quod gaudia nostra supersint,
Anglia *Matrem* habuit, nunc habet illa *Patrem*.

Cur murus Scotos frustrà distinguit ab Anglis?
Gentem vnam, gentes quid facit esse duas?

Ambobus pater est vnus, Rex vnus vtrisq; ,
Vna fides, vnum pectus, & vnus amor.
Pictico opus non est; murus novus eminet, Anglis
Scotia erit, Scotis Anglia murus erit.

VIdimus innumeros, nonnullos novimus, illi
Ignoti notiq; tamen simul esse videntur.
Tantæ insunt animis latebræ, tantiq; recessus.
Te verò, Rex Magne, Tui, (quem cernere nondum
Contigit, ) agnoscunt, Regemq, Patremq; verentur;
Parte tui meliore, animo super omnia, notum:

REgis ad exemplum dictum est componitur orbis
Sed vates puto multa mentiuntur.
O si exempla suo caperent a Rege Britanni,
Fœlices fore dicerem Britannos.

*Gulielm. Osbolston. Ædis Christi.*
*Baccal.*

CVM Luna lumen abdit, imponit vicem
Fratri gerendam: quippe quò Phœbus suo
Splendore mentes recreet, & soluat metu,
Ne sempiternâ nocte terrarum incolæ
Premantur. Eius more succumbens tuo
Regina fratri regna liquisti, & vicem
Terris gerendam: cuius adventu, graves
Dubiasq; mentes noctis æternæ procul
Seposuit Anglus, posuit et longos metus.
Quanti fuisset caussa mœroris? mali
Ah. Luna quanti, regimen Imperij, nisi
Fratri dedisset? caussa tu quantę fores
Elisa? tantæ et illa lætitiæ fuit,
Tuq; es recumbens. Luna nec Phœbo soror
Vt comparanda est luce: nec meritis tibi
Iacobe, Elisa. Luna nulli Cælitum
Alij secunda est tuq; terrestri locum

Alij ac Iacobo, Principum nulli dabas.
Dabunt priorem Regibus, Soli, viris
Regina, Luna, Fœminæ semper locum.

*Alex. Calfeild olim Ædis Christi alumnus.*

OLim scomma velut ludens hoc Roma tulisti,
Vah penitus toto divisos orbe Britannos.
At nunc, cùm solio sedeat rex primus avito
Ense Iacobus ovans, & cuspide terreat orbem,
Cumq; Papam videas trepidantem, & cuncta timentē
(Ipsaq; Roma rues) multos dominata per annos
Quàm velles toto divisos orbe Britannos!

*Edovardus Otthen Art. Bacc. Magd.*

MAgnus Alexander (procerū quęrente coronā
Quis sibi defuncto lætus succederet hæres)
Constituo hæredē qui sit dignissimus, inquit.
More haud absimili Britonum sic regia Nympha
Cum peteret cœlum mortali luce relicta,
Dicitur ad proceres retulisse novissima verba,
*Rex mihi succedat* : nomen rogitantibus, addit,
Quis nisi Iacobus consanguinitate propinquus?
Excipiunt proceres animis hæc omina lętis,
Consensu firmant, populi astipulante caterva,
Omnia lætifico fremuerunt compita plausu.
Et quid ni regem te terra Britanna salutet?
In quo conveniunt (taceo tua debita iura)
Maiestas, virtus, probitas, clementia, candor,
Relligio, pietas, & quicquid principe dignum est.
Te iurent omnes sceptra ad regalia natum.
Ergo, quid fraudes nectis Iesuita maligne,
Et Papæ cupias huc vsq; extendere fines?
Non locus est Papæ, possedit cuncta Iacobus,
Te moneo caveas, *Nemo hunc impunè lacesset.*

*Geo. Browne Art. Bacc. Magd.*

*Apostrophe ad Papam.*

PApapater (te namq; voco vel nomine Patris,
Qui si fama canat verum fœcundior ipso
Es Iove prole tuâ) gressu quid lætus ovanti
Incedis? quid templa sonant, quid compita plausu?
*Virgo Britannorum crudelibus occubat Vmbris.*
Virgo Britannorum? quid mirum, fœmina, virgo,
Et senio lassata gravi si venerit olim
Eximij Proceres, Numa quô devênit & Ancus?
Eia age, mitte iocos, & verba procacia ponas,
Et pariter mecum tibi quæ Deus ipse paravit
Fata recognoscas Parcarum pollice nexa.
Ille sub Arctöo qui regnat cardine Sextus,
Occiduo restat jam primus in orbe Iacobus.
Ille tui populi timor vnicus, Euge choræas
Ducunt Brutigenæ, & celebrant nova gaudia plausu.
Papa timet trino capiti diademate cincto,
Esse quoq; in fatis reminiscitur, vltima mundi
Sæcula cùm fuerint, quæ nunc instare videntur,
Roma diu titubans sub pondere *Patris Obesi*
*Corruet, in Tybrim claues mittentur & ensis,*
Pastorisq; mali Pecudes gens vltima mundi
Servitio premet, & victor ditione tenebit:
Hæc ego vaticinor, quæ cœli pagina dictat.

Clemens enim 8. qui iam Romæ Cathedrã occupat ventricosum habet ventrem.

*Iohannes Dunster Art. Bacc. Magd.*

CVi ius, vsa diu regali dextera sceptro,
Relligio, patriæ vis geminata placent:
Gestiat hic sævos coniungi pace leones,
Ob teneras recolens tristia bella rosas.

*Iacobus Whitehall Art. Bacc. ex Æde Chr.*

*Ad serenissimum regem Iacobum primum de meteoro ignito in Septentrione nuper apparente.*

LVx erat in tenebris nuper; plebs inscia vidit;
Vidit, & obstupuit nocte videre diem.

Nox

Nox Auſtralis erat; cœlum Boreale reluxit,
Nox ea reginæ, ſed tua (dive) dies.
Num cladem illius noctis, memorem-ve diei
Lætitiam? heu dubium noxq; dieſq; rapit.
Mitis abeſt; ſed adeſt mitis: pia; ſed pius æq; :
Docta; ſed & doctus: par & vtriq; fides.
Illa erat armipotens; *Nemo* hunc *impunè laceſſet*;
Illa erat & cultrix pacis; & ille colit.
Devoret abſentis præſens fortuna dolorem,
Deſine cum luctu lucta; triumphe, veni.
Ergo Caledonijs coniungitur Anglia terris?
Conveniuntq; minax carduus, atq; Leo?
Anglicus & Scotus nullo diſcrimine habetur?
Et duo ſunt vnum ſceptra? triumphe, veni.
Gratus ades, dilecte deo Iacobe; ſecundus
Omine qui nobis, nomine primus ades.
Vive diu, princeps; & inexſtirpanda propago
Vivat, vt invita vivere morte queas.

*G. Poulteney Bacc. Art. ex Aula Albana.*

*In ſeptem inſignia invictiſſimi Iacobi.*

SCuta Stuartorum decoravit prima tabella
Scaccorum ludo qualis adeſſe ſolet:
Cumq; novam peterent nova per diſcrimina laudem
Addidit erectus ſcuta ſecunda Leo:
Hæc duo Francorum Carolus ſociavit, amicam
Vt magis ornarent tertia ſcuta domum,
Mox alium, vario præcinctum flore, Leonem,
Imperiumq; ſimul Scotia læta dedit:
Inde Iacobe lyram: &, trino cum flore Leones
Tres dedit expirans Eliſabetha tibi,
Iam verè es *clypei dominus ſeptemplicis*, omnes
Iam ſuperas titulis nobilitatis avos.
Sic tibi, Rex, ſemper creſcant inſignia laudis,
Sic ornent clypeos ſtemmata plura tuos.

*Io. Eſtmondus in Art. Bacc. Nov. Coll. Socius.*

De

*De morte Elisab. Re.*

QVòd sacrum extinctæ celebretur funus Elisæ,
Non nimiùm doleo, fœmina nempe fuit.
Quòd cœlo est renovata dies natalis Elisæ,
Non multùm miror, nempe erit illa Dea.
Non erat hæc superis, nec erat sententia Parcis,
Æquaret Pylios fœmina vt vna dies.
Spero dabunt annos tot Regi fata Iacobo,
Principis vt possit Nestoris esse pater.

*Nath. Tomkins Art. Bacc. è Coll. Magd.*

*Scotia ad Angliam Consolatio.*

*Sco.* ANglia, cur tristi fundis suspiria planctu?
Cur sic incedis? cur stupefacta iaces?
*Ang.* Da veniam lachrymis, quarum iustissima causa est,
Pax, & spes abeunt, dum mea Elisa fugit.
*Sco.* Falleris: ista fugit, non illæ abiêre fugaces:
Et pacem, & pacis spem superesse vides.
*Ang.* Confiteor: sunt illa mihi, sunt (Scotia) damna,
Quæ tua sola potest Gens reparare mihi.
Et reparas: vestes abieci (Scotia) nigras,
Da mihi, da videam Regis vt ora mei.

*Georg. Savile Bacc. Art. è Coll. Vniuersitatis Armig.*

AVrea cur iactant Saturni secla Poetæ?
Cur Iovis alma canit tempora prisca fides?
Alma magis, pacata magis, magis aurea nobis
Secula promittunt, regna Iacobe tua.
In dextra Pietas rutilat, doctrina sinistrâ,
Possidet & pectus relligionis amor.
Mens virtute nitet, firmatur corpore robur,
Corpore lumen inest, menteq; numen inest.
Arte vales, & Marte vales, clarissimus orbe
Seu pacem sequeris, seu regis arma ducum.

Qui tibi ſceptra dedit, teq; Anglis, Iupiter idem
Et Patriæ ſeruet te, Patriamq; tibi.

*Io. Leveſon Bacc. in Art. è Coll. Reginæ.*

FAllor? an antiqui decreſcunt ſæcula ferri?
Et felix nitidi tempus renovabitur auri?
Apparat ecce novos Lacheſis lætiſſima fuſos,
Et placata trahit felicia ſtamina Clotho.
Cernis vt Eôo de littore purior exit
Phœbus, & obſtantes diſpellit lumine nubes,
Iucundis volucres concentibus aera mulcent,
Vocaliſq; feros ſaltus ſolatur acanthis.
Ipſa parens rerum tellus fœcunda miniſtrat
Purpureos flores, & iam peritura liguſtra.
Auſpicijs, Iacobe, tuis Natura triumphans
Occultas oſtentat opes, geſtitq; videri
Pulchrior, & cultis formoſa recumbit in hortis.
Colligit errantes vnita Britannia crines,
Et nitidis pexos gemmis redimita capillos
Ingentem cupidis rectorem amplectitur vlnis.
Ante precor rutili ſolvatur machina cœli,
Aethereoſq; minax ignis populetur honores,
Quam tua conſpiciant infauſti buſta Britanni:
Atq; immaturo præreptum funere regem
Anglia, ſpeſq; ſuas, & gaudia ſera nepotum
Infelix vni videat mandata ſepulchro.

Eliſabetha, tuæ poſt vltima tempora vitæ
Vivimus, & populum pax fovet alma tuum:
Ergo tuis fruimur poſt fata noviſſima curis,
Nec, quæ te rapuit, mors tua dona rapit.
At qui ſub tantæ ſuccedis pondere molis,
Et geris invictâ ſceptra Britanna manu;
Vive diu, neq; ſpem, niſi ſerò, deſere noſtram,
Et poſt multa ſacros ſæcula ſcande polos.

Quæcunq; Aonios incolitis lacus
Sacræ Pierides, queq; Heliconio
Flores purpureos vertice carpitis:
Iam Cyrrhæa citæ linquite flumina,
Et læto placidum per Thamisin gradu
Festinate novam visere Pergamum:
Visuræ sobolem Cecropiæ Deæ,
Cui coniuncta potens sceptra Britanniæ
Concessit Deus, & Saxona nobilem,
Et magnum rigidæ robur Hiberniæ.

QVicquid in egregio miratur principe vulgus,
Illud fortunæ contigit omne tuæ.
Si quid ab antiqno descendere sanguine regum
Prosit, sceptriferis stirps tua fulget avis.
Natura insudit nascenti insignia dona;
Et Fortuna suas accumulavit opes.
Excepit gremio Pallas, tenerumq; Thaliæ
Tradidit, & curæ, Calliopæa, tuæ:
Quæ pectus puerile sacras coluere per artes,
Plecteret vt Clariam dextera docta chelyn.
Mox etiam solio Iuno stabilivit avito,
Et dedit in teneras Scotica sceptra manus.
Nunc quoq; magnanimos tua dextera protegit Anglos,
Paret & imperijs ora Britanna tuis.

SIc te, Pieridum decus,
Felici superi numine sospitent:
Doctæ sic ope Palladis
Crescant continuis sceptra favoribus:
(Princeps optime principum,
Rector magnanimæ magne Britanniæ)
Si Phœbi soboles pia,
Et pulcher nitidæ flos Academiæ
Vestro numine tutior
Vanos barbariæ rideat impetus:
Vt nec vi nimis impotens
Maiorum rapiat dona potentia:
Nec cautus nimium dolus
Cæcis Pierides fraudibus atterat.

Nulla

Nulla dehinc virtus Scoti indefessa minaxq;
Infesta in nostros inferet arma Lares:
Nec gravis Angligenûm furor, & vis nescia vinci
Inficiet ripas sanguine, Twede, tuas.
O sanctum festumq; diem, qui mutua firmans
Fœdera perpetuâ regna quiete foves!
Vos ô priscorum manes vmbræq; parentum,
Mutua quos gelidæ bella dedere neci,
(Namq; vmbris quoq; sensus inest, & cura sepultis,
Nec tota extincto corpore vita perit)
Iucundum Elysijs festum celebrate sub antris,
Atq; novo coeat fœdere ruptus amor:
Lætaq; pallentes ineant convivia manes,
Sentiat vt nostrum turba sepulta bonum.
Non satis est vestros vivis sensisse triumphos,
Inclyte rex, manes ni tua sceptra beent.

*Daniel Gardiner in Art. Bacc. Nov. Coll. Socius.*

MAgna fuit magno subiecta Britannia Bruto,
Hanc Iacobe tuâ sub ditione tenes:
Imperioq; tuo subduntur Hibernica regna,
Gallica sunt etiam debita sceptra tibi.
Ergo es, sisq; diu, maior, quàm maximus auctor
Stirpis: te maior sit tua posteritas.

*Evanus Morgan è Coll. Lincol. in Art. Mag.*

NOn alio gaudet, spatium post Virginis actum,
Hospitio Phœbus, quam Lare, Libra, tuo.
Sic expectamus castæ post sidus Elisæ,
Aequali populos qui regat arte duos.
Vnus adest Scotis, ac Anglis arbiter: idem
In medio Phœbus spargit vtrinq; iubar.
Præmia iustitiæ nam dividet æquus: vtriq;
Otia noctis erunt, gratia lucis erit.

*Rodolp. Clare Ioannensis Armiger.*

*In auspicatissimam inaugurationem serenissimi principis Iacobi Angliæ, Scotiæ, Franciæ, & Hiberniæ regis potentissimi carmina.*

ANglia læteris, fas est iam ponere curas:
Anglia læteris, iam timor omnis abest.
Iam timor omnis abest, nulla est vis, femina nullo
Bellorum restant iam metuenda loco.
O qualis lux orta bonis? lux orta Britannis?
Qualiaq; Angliadum gens bona tota capit?
Qualiter in cœlo primus cum desinit, alter
Ire solet clarus, candidus ire dies:
Sic vbi transierant fœlicia tempora Elisæ
Aurea succeduntregna (Iacobe) tua.
Succedasq; precor faustè, qui iure mereris,
Cum tot sint animo principe digna tuo.

*Tho. Trenchard in Art. Bac. è Coll. Mert. Generos.*

*In serenissimum invictissimumq; Principem Iacobum Primum D.G. Angliæ, Scotiæ, Franciæ, & Hiberniæ Regem.*

HOrresco referens, cecidit nunc Anglia, & ingens
Fama Britannorum, modò vel super æthera splendens,
Abstulit, heu, nostram, quâ vivâ viximus omnes
Reginam mors dira, solet quæ parcere nulli.
Iam seges est vbi Troia fuit, nunc Anglia mœsta est.
Hoccine Papa cupis? tu rupes ergò remotas
Papa petas, caput aut Tiberino in flumine condas.
Num tua religio iam restituetur ad vnguem?
Noveris, avulso ramo non deficit alter
Aureus, & simili frondescens virga metallo.

*Thomas Stanhope Armiger è Coll. Univers.*

HEu quid Elisa tuos recitavimus ore triumphos?
Vermibus esca caro, spiritus astra colit.
Orbis habet famam, decorat diadema Iacobum:
Quem moritura iubes sceptra tenere tua.
En tuus ille Iacob, proles animosa Tyderi
Sceptra tenet nullis deijcienda dolis.
Viribus, ingenio, gnatis, pietate, coronâ,
Dux recolit patriam, nec minus illa ducem.
In caput illius descendit ab æthere virtus,
Quæ dabit omnigenis hostibus ense necem.
Regna dedit Iuno, protexit Casside Pallas,
Misit Olympiacos Iupiter altus Equos.
Cynthia, Mars, Phœbus; vestit, communit, adornat
Agros, arma, domos; flore, Leone, Lyrâ.

*Rich. Nanney Art. Bacc. Coll. Iesu socius.*

FLos cadit, & noster flos est in vere renatus;
Cui rubram, & niveã Gens dedit Angla rosam.
Cur niveam? niveus puro est in pectore candor:
Cur rubram? ruber est aptus ad arma color.
Nil nisi quod debes, das Anglia: sed tibi summus
Quod non debebat, nunc Deus ipse dedit.

*Ioh. Poulett Armiger è Coll. Vniversitatis.*

DVm timet Aeolias Respublica nostra procellas,
Civica ne laceram verberet vnda ratem:
Ecce Deus nostri regni, populiq; misertus,
Spumantes intra claustra coercet aquas.
Fluctus componens ventorum dispulit iras,
Et portum ostendens spem iubet esse ratam.
Nam pacis nostræ *REGINA* Alcedone raptâ,
*PRINCIPE* te, Belli pontus & aura silent.
Cur nunc externos reges, exotica sceptra,
Plebs papæ philtris infatuata cupit;
Regibus & nostris nostrisq; in finibus ortum
Cum te *IACOBE* hæc Insula nostra ferat.

*V Æ REGNO*, Scriptura canit, cui præsidet infans,
Annè *INFANTA* magis regna beata facit?

*Henricus Baker Armiger è Coll. Magd.*

VEre ineunte venis, ridentibus vndiq; pratis,
Flos regni & virtus summa Iacobe tui.
Flores flore beas, augesq; Leone Leones,
Bello & pace tuos quos, tuearis, habes.
Hostes pelle Leone, tuos sed floribus orna.
Sic Leo, flosq; tibi florida regna dabunt.
Iam cathedram recipis, quam Scotis Anglia dempsit,
Atq; inter sacras annumerabat opes;
Scilicet illa cathedra tibi longe antè parata,
Atq; tui adventus pignus, & augur erat,
Iam recipe & lapidē sanctum, ad quem fama Iacobū,
Syria cum peteret regna quiêsse, refert.
Scilicet hîc requies tibi summe Iacobe futura est,
Et tuæ in æternum posteritatis, erit.

*Rob. Chamberlayne Ioannensis Armiger.*

ANglia fœmineo nuper diademate læta,
Fœmineâ nunc est fœmina facta nece,
Flens simul, & ridens: flet Elisam morte peremptam:
Ridet, præsidium nacta Iacobe tuum.
Flens, longùm divina vale, vale (inquit) Elisa:
Et ridens, *Longùm vive Iacobe*, canit.

*Io. Laurentius, Ioannensis Generos.*

PVrpureæ Mori Bombyx operosus alumnus,
Serica inexhausti texens monumenta laboris,
Vicinus fato, numerosâ prole relictâ,
Ad cœlos vermis volitat felicior ales:
Haud secùs, eximiam nectens Augusta corollam
Virtutum Princeps, tandem cœlestia spirans

Astra

Aſtra petit virgo terras Aſtræa relinquens.
Auſus at eſt ecquis divæ ſuccedere Eliſæ?
Immò Iacobus adeſt, Diiſq; aſpirantibus ecce
Virginis ipſe Leo ſceptrum moderatur avitum.
Sentiat (ô ergò ſummæ ſucceſſor Eliſæ)
Anglia te patrem mitem, ſed Papa Leonem:
Sic regnans, Phœnice precor vivacior eſto.

*Thom. Lucy Magd. Generoſ.*

*In auſpicatiſſimam inaugurationem auguſtiſſimi Principis Iacobi Dei gratiâ, Angliæ, Scotiæ, Franciæ, & Hiberniæ Regis potentiſſimi*

AVſpicijs venias fauſtis, Dijs chare Iacobe,
Te Regem ſalvum numina ſumma regant,
Felix Auguſtus, ſis tu felicior ipſo,
Traianum ſuperes tu bonitate tuâ.
Angligenas nuper triſtes tu redde beatos,
Sic ſol poſt nebulas cuncta ſerena facit.
Vni coniunctus tibi ſervit vterq; Britannus,
Coniunctim lætus mite ſubire iugum.
Det Deus vt fauſtis avibus tuearis vtrunq;
Atq; in multa, precor, ſæcula ſceptra feras.

*Henricus Nevill Generoſ.*

VNus & è multis quid non ego carmina pandam?
Cæſaris adventu, *Cæſar* an ipſe ſiles?
Exulat Auſoniâ, nomen, numenq;, genuſque
Cæſaris. & mitram gens colit illa Papæ.
Anglia ſed felix, quòd nunc animoſa fugâris
Ipſos Pontifices Auſonioſq; Deos.
Anglia ter fœlix, quòd tu viduata potenti
Principe, Cæſareum Sidus in orbe locas
Sphæra manens eadem: nam, quæ direxit, Eliſa,
Deſeruit Sphæram, cœlica regna petens.
Nunc Sphęram regis vrbis ovans, rex magne Iacobe,
In cuius centro Cæſaris vmbra rogo

Supplex hoc superos, immensum Cæsar vt orbem
    Voluas perpetuò, serus & astra petas.

*Iulius Cæsar. Generos. è Coll. Magd.*

VT Lyricus vates celebravit carmine laudes
Gesta, genus, proavos, numerosaq; bella, triũphos
Cæsaris Augusti: *Cæsar* sic nomine tantum
Lœtus Iô pæan clamo, Pæana Iacobe
Ecce tibi recino, linguamq; in carmina solvo.
Quin tua facta canant illi queis Laurea frontem
Lambit, & ora suo queis Castalis vnda rigavit
Nectare, non mea vis tanta est, non vena, nec artes;
Hoc precor vt discant Hostes tua sceptra vereri,
Cassius & Brutus trepident rigidiq; Catones.

*Carolus Cæsar Generos. è Coll. Magd.*

MVlta canit, nec vera tamen, miracula Roma,
Nos miranda magis, simul & credenda canemus.
Aureus ecce oritur Boreali Phœbus in axe:
Isq; illo major, qui fulget in æthere, Phœbo.
Namq; vni tantum cœlestis præsidet orbi
Ille oculus mundi: Tu, noster quatuor orbes
Phœbe tuis radijs illustras omine fausto.
Quolibet ille semel cursum dum conficit anno,
Tu modò perpetuos, ter felix, ducito cursus.
Cum Sole, eclipsin, nunquam patiâre, (Iacobe,)
Occasum nunquam. Quin fulgens vertice cœli
Æterno nostras collustres lumine terras.

*Christoph. Darcy Generos. è Coll. Magd.*

CAndida florentes designant Lilia terras,
    Pectora plena refert viribus ipse Leo.
Dulcisonante Lyrâ concordia grata docetur
    Sceptra tenens vigeas flore, Leone, Lyrâ.

*Gulielmus Sheldon Generos. Glocestr.*

Qua-

QVadruplici cinctum caput est (invicte) corona
Pignora sunt totidem corporis alma tui.
Pignora sunt soboles, vigeas longævus in illis,
Iustitia, Christo, robore, pace precor.

*Robertus Dormer Armiger. Glocestr.*

SVstinet & cœlos Atlas, Iacobus & orbem
Viribus hic mentis, corporis ille potens:
Firmiùs ast orbem fulcis Iacobe, stat orbis
Immotus, cœlum mobilitate rotat.

*Eiusdem.*

AVreus est avulsa suis ceu ramus Elisa,
Aurea sed similis virga Iacobus erit.

*Edm: Harewell Gen. ex Æde Christi.*

EXultare satis, vincto pede, non datur: ergo
Non cano lætitiam (chare Iacobe) meam.
Subscribo tantùm plaudentibus vndiq; Musis:
Et precor vt regnes, vt valeasq; diù.

*Iohannes Rudhall ex Æde*
*Christi. Generos.*

S*Perabas Meliora*? tenes tua vota Iacobe;
Si meliorem optem, non rata vota forent.
Quid voluêre tui, tam longo carmine vates?
Quod cupiunt cupio, *Vive Iacobe*, vale.

*Gulielmus Combe ex Æde Christi. Generos.*

ESSe quid hoc dicam quòd florent omnia? rident
Quòd prata, & silvæ? quòd modulantur aves?
*Rex* venit, & veniens adducit tempora *VERIS*,
Tempora *Vere* magis florida, grata magis:
Hinc terra, Oceani tractus circumfluus, æther,
Hinc populus tali principe lætus ovat.

Primo *VERE* venit Princeps Iacobus ad Anglos,
Anglûm vt perpetuo *VERE* bearet agros.

*Richardus Greene Ædis Christi. Generos.*

IVre ego GENTILIS: Mihi nam gens Itala Patrem,
Gallica Gens Matrem, Gens dedit Angla genus,
Scotica Gens Regem te, Sexto-Prime Iacobe,
Cui Gens Rectorem non habet vlla parem.
Et tot GENTILIS conflatus gentibus vnus,
Ominor imperio prospera quæq; tuo.
Italici quicquid sum sanguinis, en tibi sacro:
Partem aliquam Italicæ sic ditionis habes.

*Robertus Gentilis Alberici F.*

*Potentiss. Rex,*

SVNT tres qui gaudent te Anglorum Rege creato,
Omnes sancti homines, Angeli, et ipse Deus.
Sunt tres qui tacito ringuntur gutture, nempe,
Improbus omnis homo, Papa, vaferq; Satan.

*Antonius Cliffordus VViltoniensis, ex Aulâ B. Mariæ Generos.*

INcubans vndis maris alma placat
Alcyon fluctus tumidos, frementes
Gurgites, nimbos, furiosa quævis
Agmina ponti.
Non minùs læti (duce te) Britanni
Gestiunt: fœtam sine nube terram,
Fertiles pacis sine Marte messes
Anglia sperat.
Rege quamprimũ Proceres carebãt,
Primus in Votis Procerum Iacobus;
Rege quamprimnm populus carebat,
Primus in votis populi Iacobus;

Pri-

Primus in nostris precibus Iacobus,
Imperet, vivat, valeat Iacobus:
Intonat Æther,

*Gulielmus Ashfeilde. Generos.*

Dilectæ cineres sacros Elisæ
Æterno Dolor irrigare fletu
Mãdat: Nam hoc meruere fata Divę;
At, Iacobe, tuo calens Voluptas
Gliscensq; Imperio, iubet Dolores
Tantis cedere Gaudijs renatis;
Hoc Regisq; beantis, & Beati
Virtus, & Patria exigit Beata.
Nostro hinc Gaudia pectore & Dolores,
(Ambo ingentia) perstrepunt protervè:
Vt ni hæc Lætitia irruisset ingens,
Omnes Mœstitia obruisset ingens;
Et ni hæc Mœstitia occupasset ingens,
Omnes Lætitia obruisset ingens,

*Ludovicus Pollard è C. C. C. Gene ros.*

*In Plausum subitum & ingentem quo excepta est promulgatio de Rege novo Confirmato.*

Dic mihi, quæ tanti causa est, resonabilis Echo,
Gaudij, vt hic feriat sydera clamor? *Ec.* Amor.
Quis, quẽ amat hic Grex? *Ec.* Rex. Devotũ sistiet illũ
Virtuti? *Ec.* Tuti. O vive Iuvamen! *Ec.* Amen.
Rex novus ergo simul nos muniet? *Ec.* vniet. Ergo
Hostis vbi, qui in nos belligerabit? *Ec.* abit.
Fausta erit huic num vita? *Ec* *Ita*, Macte ô maxime Regũ,
Echo tibi sertum spondet ovale. *Ec.* Vale.

*Iohannes Leynthall. è C.C.C. Generos.*

NVper in occiduas cum Luna recesserat vmbras,
Tinxerat et tumido cornua flexa frẹto.

Phœ-

Phœbus ab Arctoâ veniens mirabilis orâ,
Officium terris præstat vtrumq; simul.
Anglia flore dolet, validoq; orbata Leone,
Flos de flore oritur, deq; Leone Leo.
Mitis Elisa abijt, grata sed sorte Britannis
Iacobus toto clarus in orbe, venit.

*Rich. Reynell Exon. Generos.*

*CHRONOGRAMMA in annum Christi in quo inauguratus IACOBVS Rex.*

*ReGeM, Dat, sCotIa, brItannIs.* 1603.

REginam quondam Scotis dedit Anglia, Regem
Scotia restituit iam tandem grata Britannis.
Millenus nobis & sexcentessimus annus
Tertius, Antiquâ plantam de stirpe reduxit.

*Guil. Hackewil Coll. Exon. Generos.*

CLara velut magnum cognovit Roma Catonem,
Relligio cuius maxima in orbe fuit:
Secula sic regem mirantur nostra Britannum,
Qui pietate magis splendidus, atq; magis.
Et Brutum & Crassum belli duo fulmina fama
Ante alios primum iussit habere locum.
Relligione prior primò virtutibus illos
Vicisti, atq; trium quod fuit, vnus habes.

*Guil. Napper Ioannensis.*

IN quibus Angla potens gens tela minantia telis
Indixit Scotis; tempora Martis erant.
Scilicèt extructus cùm murus Pictìcus olìm
Regna bipartitâ dissociavit ope.
Olìm Mars habuit, sua nùnc habet aurea Pallas
Tempora, nùnc veræ tempora pacis eunt.

Nos

Non opus est isto nunc muro, Scotus et Anglus
    Nunc coeunt, initæ fœdera pacis habent.
Destructo veteri muro, magè firmus vtrisq;
    Anglis & Scotis, esto Iacobe tuis.

*Gulielmus Negose. in Art. Bac. ex æde Christi.*

ORba parente suâ; deiecta, cupitaq; præda
    Hostibus externis Anglia visa fuit.
Sed Deus (ille Anglis Semper Deus) omnia nobis
    Vt bona sint, fecit, quæ mala sponte sua:
Principe pro nostrâ quæ fatis cessit, habemus
    Regem, nec sine Te, Christe, datore, novum.
Clamet Iô felix, resonetq; Britannia tota
    Voce alacri laudes, Christe supreme, tuas.

*VV. Coton ex æde Christi in Art. Bac.*

CVm Cæsar bello superans, & pace triumphans,
Lætus adit patriam, civeis, patriosq; penateis,
Χαῖρε sonat pleno benè doctus psittacus ore.
Χαῖρε hoc vnde venit? non magni Cæsaris ergô.
Sed quòd dura fames, quòd ventris cura remordet.
    At nos Cæsar ave caminus; nec caussa petenda est,
Sed quia Cæsar adest. satis hoc (clarissime Cæsar)
Nam tua nobilitas, pietas, & cælica virtus
Nos clamare iubent, populus quod clamat Osiri
Invento, egregius patriæ contingis ovanti,
Magnus es, ô semper viuas clarissime Cæsar.

LInquens patentis frigidas mundi plagas
Adest Iacobus, Angliæ summum decus.
Borealis Atlas noctis æternæ faces
Expectet; abijt proferens lucem dies:
    Quid enim? recessit splendidum solis iubar,
Posuitq; nitidos Anglico currus solo,
Angli ô beati! vos & in rigidis nive
Glacialis vrsæ partibus fausti fatis,

Æquè

Æquè beati. nam calor qui nos fovet,
Virtute summâ maximi regis bonos
Omneis fovebit, foveat æternùm precor;
Semper Iacobus vivat, vt Phœbus pater,
Anglosq; semper splendido vultu beet.

*T. Aylesbury. Art. Bac. ex æde Christi.*

ANglia fæmineo nuper diademate læta,
Fæmineâ nunc est fæmina facta nece,
Flens simul, et ridens: flet Elisam morte peremptam:
Ridet, præsidium nacta Iacobe tuum.
Flens, longum divina vale, vale (inquit) Elisa:
Et ridens, *Longùm Vive Iacobe*, canit.

*Iohannes Laurentius Iohannensis*

*De fælici Angliæ statu sub Elisabethâ, & Rege Iacobo.*

OLim agitata vndis memorabilis insula Delos,
Fidum in molesto non locum tenuit mari:
Donec, ibi pulchrâq; Dianâ, & Apolline natis,
Stetit in quieto mobilis tellus loco:
Tu quoq; eras olim iactata Britannia ventis
Schismatum, & acerbis fluctibus fidei obruta:
Elisabetha oriens requiem dedit, atq; Iacobus
Vnà æstuantem pace composuit statum.
Mox tamen ad cœlum properavit nostra Diana,
Vt alma lucem scilicet noctu daret;
Et lucet cœlo: manet hîc infusus Apollo,
Terram Anglicanam spendidâ illustrans fide.
O maneat semper, cuius fæliciter ortu,
Relligio stabilis mansit, & Delos stetit.

*Ad Regem.*

DEducit ferrum magnes, & sempèr ad Arctum
Illius tactu nautica tendit acus.

Fallor?

Fallor? magnetis ferrum allicit insita virtus,
Quâ fit vt Arctoum spectet acusq; polum:
Inclyte Rex animos nostros, et pectora ducis;
Vertis ad Arctoam pectora nostra plagam.
Scilicèt Herculeus Magnes virtutis & artis
Ducere vel summè ferrea corda potest.

*Ad regem.*

FOrtunam offerimus tibi Rex Iâcobe secundam;
Virtutis nobis mutua dona refers.
Sed virtute tuâ minor est Fortuna Britannûm;
Nec paria esse queunt munera nostra tuis,
Fortunati erimus tamen, & virtutibus aucti,
Virtutem sequitur cum Dea cæca ducem.

*In Papam veræ religionis oppugnatorem*

PApa, quid in nostros sic instas vnguibus Anglos,
Et Regno huic tanquàm prædæ inhiare soles?
Est tibi cum Petro: quid habes cum Rege Iacobo?
Nil cum illo, tecum nil Iâcobus habet.

PApa, Petri claues te solum dicis habere.
Quêis cæli portas tu reserare potes:
Esto: non retines claves, ô Papa, Iacobi,
Illius portas non aperire potes.

PApa, gregis Christi vis pastor maximus esse;
At cur pastoris munus obire negas?
Ipse gregem sinis in terris errare Iacobi;
Maxime dispersas collige Pastor oves.

DVxisti Sophiæ natam, Rex inclyte, fausto
Omine, nam Sophiæ natus es ipse Deę.

ESse quid hoc dicam? pulchrum & mirabile visu;
Stat circumcinctus floribus, ecce, Leo.
Pacificos servat flores Leo promptus ad arma
Nequa illos forsân carpat iniqua manus,
Et tot odoriferi circumstant vndiq; flores,
Vt semper placidus floreat indè Leo.

CVm mihi præriperet charum mors invida Patrem,
Benigna misero Mater Elisabet fuit.
Nunc cùm nutrici sum Matre orbatus Elisa,
Nutritium, Iacobe, te spero patrem.

*Fran. Iames in Art. Bac. ex æde Christi. Alum. reg.*

ANglia dùm queritur de Matris morte, sororem
Flens rogat, an possit plebs sine Matre regi?
Scotia, quæ soror est, breviter sic; pelle timorem
Nam Pater est, in quo vivit vterq; parens.

SImortem, & proavos spectes, Regina quiescit
Vltima; si vitam, & numina, prima iacet:
Quæ cùm prima inter mortales vixerit, illum
Promovet ad Primos, qui modò Sextus erat.

*Richardus Corbett. Ædis Christi Art. Bac.*

Vénit mæsta dies? vénit. sequiturq; salutis
Auspicium certum? sequitur. Quid plura? prioris
Tristitiæ facies, venientis conscia fati,
Gaudia promittit niveis signanda lapillis.
Dum loquor, ecce novum consurgit ab æthere sidus
Arctóo, felix ortu, quoq; lampade felix
Fulgeat, æthercam cingens amplexibus arcem,
Et serò occiduas tangat lati æquoris vndas.

*Ed. Groome Ioannensis.*

VIcta per Angligenam cum cessit Gallia regem
Invita victa Lilia dat Anglis sua.
Gesta per Angliacos cessârunt bella Dynastas,
Cum iuncta rubræ candida est rosæ rosa.
Diuisos primum Britones iunxere Leoni
Iuncti Leones aurei trini rubro.
Per tria spondetur tua virtus Lilia, nobis
Spes publica tuis; ista maiores dabant,
Vniteq; rosæ his addunt (rex optime regum)
Gratiam & amorem; hos Atavus Henricus dabat,

His

His adiungo tuum regimen regale, Leones
Id dant, leones proauia & proavus dabant.
Hæc (divino) tuas pro longo tempore sedes
Spondent futuras; hoc Deus, spero, dabit.
Det deus: vt tu nobis, te per sæcula multa
Boni fruamur subditi Rege optimo.

*Thomas Salteru. Ioannensis*

*In serenissimum invictissimumq; principem Iacobum primum, Angliæ, Scotiæ Franciæ & Hiberniæ regem.*

PRotulit Henricos, Edoardos Anglia; quales
Marcellos, Fabios Martia Roma suos.
Nunc dedit Angligenis primum gens Scota Iacobum
Verè Nestoreo pectore, & ore virum.
Nestoreum quia pectus habes, quia Nestoris ora,
Nestoreos habeas magne Iacobe dies.

*Gulielmus Petreus Generos. Coll. Exon.*

INfãdum scelus: vsq; quò moramur
Ignavi nimiumq; dormientes
Britanni (genubus solo coactis)
Ter trecenta pedi sacro litare
Basia, & totidem osculationes
Calentes dare pulueri, jacenti
Sub tanti pede Principis? facessant
Segnes ergo moræ; paremus ora,
Et cœptum peragamus (euge) nostrũ
Tanti Principis osculando plantas.
Sis vero nimium nimisq; fælix
Scotorum genitrix, quater beata
Terra Rege tuo (cũi coruscans
Sol Caledonijs refulget oris)
Tollas invidiam, exuletq; livor,
(Quum nostræ viduata Protomatris
Iacet spondula) si recumbat inter

Amplexus teneros tuæ Sororis,
Conjugisq; locum tibi, tuæq;
Sorori teneat Maritus ille
Regalis tuus. Intimus, benignus,
Lætus adsit Hymen. Deę propinquęt
*Canoræ, Charites*, Apollinesq;
Huc huc ô properate, sanctiores
Lauros nectite, tempori sacratas
Regali; viridis coronet Anglûm
Regi Palma caput; canamus inde
Vivat, Angligenûm salus, Iacobus,
Princeps cælitus â Deo tonante
Delapsus, gregibus suis Asylum.

*Guliel. Bennion. Coll. Omn. Anim. in Art. Bac.*

DVm cedit Pallas, succedit Iupiter almus:
Sic Dea, prima fuit: sic Deus alter adest.
Mutatur sexus: sceptrum, sapientia, virtus,
Splendida fama, decus, cætera cuncta manent.

SIgnificat, σκότος, tenebras: sed terra Scotorum,
Credo, κατ᾽ ἀντίφρασιν nomen, & omen habet.
Namq; diu Scoticis, lux splendida fulsit in oris:
Nunc populum lustrans, Anglica terra, tuum.

POst Phœben oritur splendescens lumine Phœbus:
Scilicèt, alternas servat vterq; vices.
Hoc est, quod nostras Dea prima reliquerit oras:
Noverat adventum, lucide Phœbe, tuum.

EN, soror inventam resalutat læta sororem;
Atq, suis juncta est Anglia læta Scotis.
Sic, modo divisum jungit pax aurea sceptrum,
Quod junctum, Princeps clarus, & vnus habet.

*Thomas Cooper, ex Aulâ Cervinâ Bac. in Art.*

VNa data est vobis (Scoti) Richmondia proles;
Grati estis:soboles iam numerosa redit,
Et redit ad regnum cum regno:pristina vadant
Iurgia ; cum sceptris iungere corda datur.
Vnica nunc fies,divisa Britannia quondam;
Nunc eris invictum(magne Iacobe) Caput.
Iam cum nulla Anglis restat vel imago salutis,
Summa salus Anglis cælitùs ecce venis.
Anglia iure tibi devincta (Iacobe) precatur,
Primus vt auspicijs cuncta secunda geras.

*Franciscus Finche in Art. Bac.*

ANglia si fælix positis civilibus armis,
Cōnubio fausto cùm rosa iuncta rosæ;
Quid ni nunc eadem multo fęlicior esset:
Arctantur geminis Scotica signa rosis.
Perpetuis cedat Tuæsis turbata rapinis,
Nec dubio vnitos limite signet agros.
Lætetur tellus pictis contermina Scotis,
Nascitur Arctoo mitis oliva solo.
Stemmatis,& gemini ter felix vnio regni:
Totum hoc debemus, Rex Iācobe tibi.

*Georgius Browne in Art. Bac. Magd.*

QVis plausus mæstas geminatis vocibus aures
Personat?vnde tubis canere hæc tam lęta sonoris?
Heu dolor;estne aliquid tam sævo in tempore lætum?
Nosco diem,& causam;vidui ad moderamina regni
Rex novus eligitur;Princeps qui Scotica quondam
Sceptra per innumeros proavos transmissa gerebat.
Salve igitur,regem quē cuncti vno ore salutant;
Æternum salve,rebusq; vocantibus adsis.
Nam neq; vana sacris Memphis,neq; turba Canopi,
Demersum toties longùm cum luget Osirim,
Si paribus maculis,paribusq; coloribus Apim
Repperit,Isiacas ita plaudens ducit ad aras;

Vt nos te canimus, tibi plaudimus vtraq; regna,
Per quem pax, amor, & pietas, beat vtraq; regna:

CArmina dum scribam tristi solamina menti,
Post obitus Princeps, & pia Virgo tuos,
Orsa dolor prohibet, lachrymæq; in scripta cadentes,
Fusaq; per bibulas multa litura notas;
Carmina dum scribam lætam testantia mentem,
Vt canerem imperij Rex nova sceptra tui,
Non lachrymas oculus capit ad sua gaudia laxus;
Sed fluit, & versus abluit imbre rudes.
Ergo cape has Princeps (nam desunt verba) lituras,
Quas fudit lachrymis penna rigata pijs;
Has cape, & has lachrymas; & ab his (quia carmina desunt)
Et mæsti, & læti pignus amoris habe.

CVR quadripartito alternas Rex Stẽmata campo?
Nec medio, aut vno limite scuta secas?
An quia per minimas melior fit mixtio partes?
Sic stemma, & populum iungere vtrumq; paras.

*Gulıel. Bridges No. Coll. Socius in Art. Bacca.*

SI cui Melpomene dulcem subrisit eunti
In lucem: aspectus, Rex, tibi talis erat.
Hic labor ergo tui ingenij solius, & artis
Hoc opus est, iustis te celebrâsse modis.
Ergò quid est, quòd nos tibi carmina scribimus? hoc est:
Et pietas iubet, & litera nulla rubet.

QVòd non in lachrymas vanescant lumina nobis,
Nèc fiat nostrum funus, Elisa, tuum:
Ignoscant cineresq; tui, manesq; sepulti,
Quod spiramus adhûc, hoc tua cura facit.
Expressam fidei, pietatis, relligionis,
Indolis effigiem cernimus eccè tuæ.
Et dum vivis in his, non desinis esse superstes:
Defunctæ ille manet vivus imago tui.

Macte

Macte tua, Rex magne, fide, pietatis amore;
Sic, ô sic in te vivat Elisa diu.
Illius haud aliter sacros æquabis honores,
Haud aliter fuerint fœmina, virq; pares.

*Guil. Twisse Nov. Coll. Socius in Art. Bacc.*

ILle dies veniet, quo Sceptris reddita nostris
Serviet Italico terra Britanna iugo:
Ille dies, nostro quo sæpè erepta furori
Occumbet fatis Elisabetha suis,
Ista Baaliticus mendacia protulit olim
Vates, sed risit somnia vana Deus.
Namq; illa occubuit maturè redddita Cœlo,
Nil tamen hic Italus iuris habere potest.
Nec mirum; sperabat enim quas ille, tenebras
Altera *Rege novo* dispulit orta dies.

Defunctam lugere paro dum nuper Elisam,
Quod suadet pietas, & iubet officium;
Intempestivos Successio vestra triumphos
Exigit, & per vos non licet esse pium.
Hæc tamen impietas vt sit pia, vestra Iacobe
Vera facit summâ cum pietate fides.

Longa Caledoniam vastarunt prælia Gentem,
Et maduit multâ strage Britannus ager;
Scilicet, in solidum Scotis pareret an Anglis
Insula, bellum atrox inter vtrosq; fuit.
At nunc immiti, Gentes, absistite bello,
Et vos æterno fœdere iungat amor;
Namq; vni tandem Capiti paretis vtræq;;
Mens ergo vnanimis Corpus vtrunq; regat.

*Tho. Hichcock Socius Nov. Coll. in Art. Bacc.*

IVncta Caledonijs tria regna, Iacobe, coronis,
Ter nobis geminant gaudia, terq; tibi.

Æmula quæ quondam imperij, nunc æmula laudes
  Quæ magis accumulent, hæccine an illa tuas.
Fælix ô fælix ætas! cum cætera pacem
  Spondent, certamen, non nisi laudis, adest.
Fallor ? an hæc olim quæ vates sæcla canebat,
  Cum tibi Roma suum subderet orba patrem?
Scilicet, hic solum triplici diademate cinctus,
  Quadrupla nunc capiti est ducta corona tuo.

*Richardus Allin è C. C. C. in Art. Bac.*

QVis Deus hac orâ posuit vestigia, miræ
  Cui viret invictâ pacis oliva manu?
Ecce oculos oculus mundi coniecit in ipsum
  Nuper, & erubuit se reperisse parem.
O Rhodia multò fœlicior Anglia gente,
  Cui deerit nunquam (sint licet astra) dies.

*Iosephus Colmore.*

LVgubres gemitus, tremor, dolorq;,
Tot voces querulæ, genæ madentes,
Rubentes oculi, tot & timores
Vsq; & vndiq; & vsq; pervolantes,
Quid hæc omnia ? tanta quid doloris
Vult sibi series? Diana (nostræ
Salutis regimen) sub Occidenti
Abscondit caput, interitq; nostra
Vnà clara dies, dolenda longùm,
Et longùm lachrymanda! sed levemus
Ocellos, aciesq; strictiores
Tendamus: Borealis, ecce, Lucis
Qualis ille nitor? relicto eôo
(Omen Iuppiter insuetum! at album)
Phœbus exerit aureos Iugales
Brumali ex Aquilone, nigricantes
Dispergens nebulas, diem reducens,
Anglos irradians timore lassos,

Mestos

Mœstos, languidulos fovens. beati
Vos Caledonij; nimis beati
Et nos, Angligenûm genus! vacantem
Sphæram, Cynthia quâ diù movebat,
En nunc occupat (occupet q; longùm!)
Frater lauriger, advehit q; lucem
Nobis noctivagis sereniorem.
Hunc faustum celebremus ergo solem,
Quo splendente, ruit tenebricosa
Caligo Stygios ad vsq; manes.
Vivas Phœbe Pater! virescat, euge,
Sempiterna tibi Corona, Vates!
Ne (dum terra suo ligata Centro,
Pendet aëre) languidi Iugales
Citas præcipitent rotas; anhelæ
Nec sese occiduas Iubæ sub vndas
Tingant. his precibus Dei tonantis
Æternum annuat approbetq; numen.

*Nicholaus Debillus Cornubiensis Coll. Vniver.*

TRes cecidere Deæ defunctâ nuper Elisâ,
Tres cecidere simul, Iuno, Minerva, Venus.
Omnia iam tria sunt: tria iam nectuntur in vnum
Regna: Britannorum rex tria sceptra tenet.
Sic ô sic triplici semper florente coronâ
Fiat ter fælix Anglia terq; potens.

*Richardus Minchin Art. Bacca.*

FElix Anglia, lætior triumpha,
Et tristis memores notas doloris
Exicca lachrymas, tuosq; Elisæ
Sacrato in tumulo reconde fletus:
Nunc fortuna benignior refulget,
Et regem dedit æmulum priori:
Qui pacem stabilem tibi daturus

Iunget fædere sanctiore terras
Per tot sæcula sæpe dissidentes.

*Edoardus Betts Iurista, Novi Coll. Socius.*

CVR toties surdas pulso clamoribus aures?
Cur refugis nostras, Musa superba, preces?
Nemo diu vestras coluit studiosiùs artes:
Nemo magis vestram tum quoq; sensit opem.
At modò cultori quis vos avertere vestro?
Officij memóres nec sinit esse mei?
Fallor? an audivi Musas, Helicone relicto,
Obsequio solas semper adesse tuo?
Scilicet ista tuis certissima numina votis,
Et sunt ad partes officiosa tuas.
Sunt tibi (sintq; precor) dulces ante omnia Musæ,
Turbaq; muneribus nobilitata tuis.
Sic te magnus amet musarum Præses Apollo:
Invenias faciles sic tibi sæpe Deas.

*Aliud.*

EST tibi, sitq; precor doctæ tutela Minervæ,
Nec tam præsentem sentiat alter opem.
Illa tibi lætos referat sub Marte triumphos:
Illius auspicijs munera pacis eant.
Illa tibi belli, pacisq; insignia reddat.
Ingenium, & vires instruat illa tuas.
Sic (Quo nec bello, nec pace potentior alter)
Sit tibi sub tanta præside longa dies.

*Fran. Alexander. Iurista Novi Coll. Socius.*

FRustra tumentis fautor Iberiæ
Speravit armis fata refigere,
Indebitos vt transmarino
Subijceret domino Britannos.
Auras voravit Papa superbiæ,
Atq; impiorum turba satellitum
Quod vidit, effûgit repentè
Per nitidos eboris meatus,

O flos virentis ſplendide Scotiæ
Regnum capeſſis iure Britanniæ,
Seu dignior fama petitor,
Sanguine ſeu propiore natus.
Florebit omnis Pieridum chorus,
Et tanget alto ſydera vertice,
Ducetq; felicem triumphum
Numine Relligio favente.
Soli creator maximus & poli
Has ſpes piorum ducet ad exitum,
Iniuſta ſed dextrâ potenti
Omina diſcutiet malorum.

*Ambroſius Aiſlowe Novi Coll. Soc. & Iuriſt.*

QVi Martem antevenis bello, qui Pallada verſu,
Dic, tibi ſceptra magis, vel mage ſerta placēt?
Dignus vtriſq; mihi es: regales nempe decebunt
Aurea ſceptra manus, laurea ſerta comas.

CArminibus certet tecū vel Apolline (Princeps)
Iudice, carminibus cedet Apollo tuis.

PAlladiæ vt poſſit tibi gloria vivere linguæ
(Inclyte Rex) opus eſt te tua lingua canat,

*Gnliel. Braunche in Art. Bac. Novi Coll, Soc.*

DIſſimilem, ſimilemq; hominiq;, Deoq;, Iacobum
Auguror, eſſe hominem corpore, mente Deū.

GEns duplex, Iacobe, ſuum te clamat: vtramq;
Tu benè diviſo reddis amore parem.

Quod fuerint vnū modò Scotia, & Anglia regnū,
Vtraq; Iacobo debet vtrumq; ſuo.

IN te vnum mundi conſenſit machina Regem,
Inijce regales in tua ſceptra manus.

Regno animus tibi dignus, habes dignissima sceptro
Pectora, quæ sævæ nil feritatis habent.

Anglis rex novus est è funere natus Elisæ,
Quæris quo natus tempore? vere novo.

Non sic Luciferi Viator ortu,
Non sic nauta poli serenitate
Gaudet, turbine fluctuans marino:
Vt iam pectora nostra recreavit,
(Insignissime, & omni honore digne)
Adventus celebris tuus, Iacobe.

Mortua quæ iacuit Reginæ in morte, Iacobe,
Relligio auspicijs est rediviva tuis.

*Tho. Hall Iurista Nov Coll. Socius.*

CRedideram fato functas obijsse Camænas,
Et simul Aöniam procubuisse lyram:
Et quia Mnemosynen sors durior egit ad vmbras,
Credideram nullos insonuisse modos.
Sed quia *Mnemosynen* exceperit alter *Apollo*,
Panget iô numeros plurima Musa suos.

Olim multiplici Gens servijt Anglica Regi,
Sed lacer assiduo Marte popellus erat,
Mox vno contenta, suos tamen horruit hostes:
Nec fuit à bellis tuta, quòd vna fuit.
Iam plures terras, & regem nacta Iacobum,
Et sua defendit, nec nova bella timet.
O si tam nostro facit auctio tantula Regno,
Regna cape in titulos plura (Iacobe) tuos,

Vnde tibi, vt referas in Scotica Signa *Leonem*?
An *Leo* vt in titulos inde Britannus eat?
Ille altus caput, & pedibus constantior imis
In largos aperit pectora prima sinus.

Ille

Ille humeris resupinus, & ipsâ fronte tremendus,
Et toto, dum se porrigit, ore minax.
At noster *Leo* subsidet, gradiensq; feretur,
Semper vt imperio constet eatq; tuo.
Ergo *Leo Scotus* dominare *Leonibus* Anglis:
Atq; vni subeant vtraq; Regna Duci.

*Robertus Addams Nov. Coll. Socius.*

ASpice, vt exiguo Iacobi insignia gyro
Pingant cum regno regia corda suo.
Tres tria regna docent Anglorum invicta Leones,
Et regem invictum Scoticus ille docet.
Tres intermisti geminata insignia flores
Rege sub invicto florida regna notant.

*In balteum regia insignia ambientem.*

Balteus hic terram pulcrâ exprimit arte Britannam,
Quam circumfusi proluit vnda maris,
Hunc nisi qui solvet, nemo tua Regna, Iacobe,
Vincet, quod pro te dimicet, æquor habes.

Quod sis, esse velis, *Spera meliora* tulisti;
Semper es invictus, victor & esse velis.
Quàm bene virtuti respondent verba, Iacobe!
Hæc quoq; quàm verbis æquiparata tuis!

Iacobo legans tres Elisabetha Leones,
Invictum donis hunc notat esse suis.

Gallia dat victos, invictos Anglia flores,
Nempe Leoninum robur vtrinq; gerunt.

Alma trias cœli triadem hanc servato Leonum,
Et monadem hanc Cœli protegat alma Monas.

*Io. Reinolds Socius Nov. Coll. Iurista.*

VAne quid in medijs struis oppugnacula campis,
Mœnia cur saxo non ruitura facis?

Picti-

Pictus ille tuus tanto molimine murus
Structus, & immensus qui fuit agger abit.
Hostis abest, timor omnis abit, coniunxit in vno
Fœdere nos vnus, nunc manet vna salus.
Ergo cadat murus, pateat via, concidat agger,
Vnius imperio dum sine lite sumus;
Vnius ob pacem proceres, populusq; precentur,
In quo pax populi, pax procerumq; manet.

*Rob. Burton Art, Bacc. ex Æde Christi.*

ILle dies anno dans incrementa futuro,
Incrementa novæ quanta salutis habet?
Ille dies facto bonus, & crudelis eodem,
Eripuit nobis, & dedit omne decus.

Vivere qui solus poteras, qui vincere solus,
Quàm, Leo, perficies grandia, iuncte tribus?

*Hen. Byam Bacc. ex Æde Christi.*

PRolificū tandem Phœnix tibi sterne sepulchrum,
Alter quòd Phœnix inde oriundus erit.
Sic vbi iam seros fœlix transegeris annos,
Regina optatâ tendis in astra viâ,
Non invita tamen terras Astræa relinquis,
Iustitiam iustus qui colat alter erit.
Alter is est quo iam fruimur regnante Iacobo:
Scotorum simul est, Saxonidumq; decus.
Quo duce, vera fides, cum fecerit otia terris,
Læta homini reddet sęcula, grata Deo.
Vita tua ô seros (Rex augustissime) in annos
Currat, in extremum continuata diem.

Lunam ô, Saxonidis manu rapaci
Immitissima mors, quid abstulisti?
Sed nil proficis hinc. Quid invidebas
Anglis? Cynthia luce quod fugaris

Ergo

Errores hominum tenebricoſos?
Quamprimũ caput at ſuum ſub vndis
Phœbe condiderat, reſurgit ipſe
Phœbus; qui prohibet, ſuis refulgens
Ter clarus radijs, ſuis Britannis
Errores hominum tenebricoſos.

Iunoni Samiæ arboris ſacratæ
Fœtus auricomos ſacramq; virgam
Si quis perfacili manu amputabat,
Frondebat ſimilis ſequens propago
Virgis auricomis, ſacroq; fœtu.
Si quem non aliquis Deûm vocabat,
Abſcindi', poterat-ve vi revelli?
Sceptrum tale tuum, beata Eliſa,
Auratum fuit vſq; & vſq; florens;
Quod vi non poterat tibi, aut veneno
Auferri, prohibente rege ſummo.
Quin fato facilis vocante cedis,
Dum poſt te ſimilis tui reſurgat,
Qui ſceptrum teneat tuum; iubente
(Qui ſceptrum dederat tibi) ſupremo
In reges dominante, rege Chriſto.

*Tho. Sparke Nov. Coll. Socius.*

Εὐδαίμων πόλις ἐστιν ἄνακτος φιλοσοφῦντος·
Αὐτὸς φιλοσόφων πρῶτος ἔειπε Πλάτων.
Οὕνεκ' ἄρ' εὐδαίμων πᾶς ἐστι Βρεταννόθι λαὸς,
Ἔνθα πέλει ζάθεος φιλόσοφος κρατέων.

GRæcia Mœonium iactat divina poëtam,
Et Demoſtheneam Palladis Aſtu tubam:
Dardanidæq; duas tollunt ſuper aſtra columnas,
Hectora Priamiden, Pûlydamanta gravem.
Saxones afficiunt maiori laude Iacobum,
Qui, quod habent reliqui quatuor, vnus habet.
Alite] Mæonio noſter volat altiùs Ales,
Et Demoſthenea plùs ſonat ille tubâ.

Fortior

Fortior est nobis hæc vna columna duabus,
  Suffulcit nostras fortiùs vna domos.
Nescius ille tuis concedere viribus Hector,
  Consilijs superat Pùlydamanta suis.

*Ioannes Frear Glocestr. Generos.*

QVòd canit Vates; *Dolor & Voluptas*
*Invicem cedunt*: ea vera Vox est:
Cum tamen subdat, *Brevior Voluptas*,
  falsa loquatur.
Morte Reginæ Britones dolebant:
Rege lætantur Britones creato:
Sed Deus luctu diuturniora
  Gaudia præstet.

*Elizæus Swayne ex aulâ Cerv.*

QVod geminos fingit Soles micuisse Poeta,
  Pictoris geminos quodq; tabella refert:
Crimen vterq; subit, falsi damnatur vterq;,
  Immeritò; verax hic vel vterq; fuit.
Namq; duos orbi Phœbos micuisse Britanno,
  Auspicibus radijs lux hodierna probat.
Sole sub occiduo Verbi lux finit Elisæ,
  Incipit ex ortu (Magne Iacobe) tuo.

Dixerat extinctâ non pessimus augur Elisâ
  Principem ei nobis non superesse parem.
Fallitur? an verum prædixit? nascitur alter,
  Non par, si non sint fœmina virq; pares:
At quia divinis lucent virtutibus ambo,
  Fœmina virq; licèt, sunt tamen ambo pares.

*Ioh. Saunders Art. Bacc. Orialens.*

SIc mea sollicito depressit membra dolore
  Nuncius interitus Elisabetha tui:

Vt nisi regnantis recrearet fama Iacobi,
Me pronum in terram protinus ipse darem.
Sic quoq; regnantis recreavit fama Iacobi
Vnanimis procerum vox, populiq; simul:
Vt nisi defunctæ premeret dolor Elisabethæ,
Per tenues auras sydera sponte petam.
Flere iubet, sic flere vetat contraria menti
Mens mea: sed superant gaudia læta metum.
Me regi totum voveo: pars altera terram
Incolit, obsequium regi habitura suum;
Altera, quæ melior, vocem super æthera mittens
Ingeminat, populo *vive Iacobe* tuo.
Altera, te nobis regem dominumq; salutat
Altera, sis optat, Rex dominusq; diu.

*I. Simpson in Art. Bacc.*

*Scot.* QVùm tua fulgentē iam condit Luna nitorē,
Emittit radios Sol meus, ecce, suos.
Splendoremq; tuis clarum nunc præbuit oris,
Vtq; tuos lustret candidus, vtq; meos.
*Angl.* Fausta Dies, tantam cum senserit Anglia Lucē,
Viderit & radios, Phœbe Britanne, tuos.
Te Solem agnosco nostrum, Regemq; saluto;
Phœbus es in terris, Phœbus & esto Polis.

*Christoph. Green è C. C. in Art. Bacc.*

SAlve mæsta dies, lugubris nuntia lethi:
Salve festa dies nuntia lætitiæ.
Mæsta es: namq; forum mutum est, & Curia plangit:
Anglia Reginæ funere fracta gemit.
Festa es: namq; forum lætum est, & Curia plaudit:
Anglia Rege suo gaudet ovatq; novo.
Plaudite Pierides, nam vester regnat Apollo:
Musarum floret laurea vere novo.
Vincito, vive, vale, cœlo delapse Iacobe;
Vox cœlum hæc feriat *Vincito, vive, vale.*

*Daniel Fayreclough C. C. in Art. Bacc.*

Anglia.

ANglia ſub Sextis ſemper ſtetit optima, contrà
Sub Sextis ſemper peſſima Roma fuit:
Miraris cauſam? parili ſub nomine diſpar
Vita fuit, diſpar conditione modus.
Clemens inclemens, Sextus Leo turgidus, atq;
Sextus Alexander turpis adulter erat.
Sextus at Henricus mitis, Conſtans Edoardus
Sextus erat, ſanctè Sexte Iacobe regis;
O Sextos inter noſtros celeberrime Sexte
Vive diu populi vita, Iacobe, tui.

*I* nclyte rex iunctis qui reddis iura Britanni *S*
*A* nguſtis quos cingit aquis Neptunus & ambi*T*
*C* uncta ſecans rapido quò voluitur vndiq; flux*V*
*O* ceanus; Qua te celebremus, Maxime, Muſ*Al*
*B* arbara vox nobis, Te Te tua facta loquuntu*R*
*V* ndiq; nota ſatis: paſſim tibi ſingula claman*T*
*S* emper Io vivat noſter vincatq; Iacob*V* *S*

*Georgius Webbe Art. Bacc. è Coll. C. C.*

ANglia defunctam fato ſuſpirat Eliſam:
Cur gemit? Elyſias ſervat Eliſa domos.
Defuncta (heu miſerū) eſt, noſtræ tamen altera gentis
Spes ſubit: illius ſceptra Iacobus habet.

Lux noſtra extincta eſt, at nunc duplicata refulget:
Et ni extincta foret, non duplicata foret.

*Math. Walkeden Bacc. Art. è Coll. Trin.*

IRe per Heroi pede Principis acta volentem
Heroo, increpuit me his Elegia modis.
Tune levis, magni Regis percurrere laudes,
Scilicet, & populi gaudia, tune potes?
Non Sol ille tuo tentandus, perdite, curru,
Non iubar hoc pennis, Icare vane, tuis.
Ergò ſolum ſaltu, plauſu quatiemus Olympum,
Cœlum voce, choris gramina, & aſtra lyris.

Nos festumq; diem celebremus, Iöq; canamus,
Nil erit in toto carmine præter Io.
Iamq; Iovem votis, & thure onerabimus aras,
Tu Deus, hinc laudes accipe, & inde preces:
Quòd pacem & Patrem patriæ das, accipe laudes,
Accipe &, vt vivat paxq; Paterq;, preces.

*Antonius Ronsans Lateportensis.*

QVid queror absentes (infausta Britannia) Musas,
Pallada quid sedes deseruisse suas?
Scilicet aut sanctam Divæ comitantur, Elisam,
Dum petit æternos nobilis vmbra polos;
Aut tua virgineis patuerunt castra Camænis,
Assidet & solio docta Minerva tuo:
Et nos Aonias frustra quæsivimus vndas
Quæ procul externo plenius orbe fluunt:
Maxime Rex, propera nostros invisere fines,
Et revoca absentes in loca nota Deas.

*Geor. Powre Iurista Nov. Coll. Soc.*

NVnc tua donetur tibi laus [a] Laudonia; mandes
[b] Anderam resilire, manũ vt Londonia magno
Iungat Edinburgo: cives, vrbs, aula sit vna;
Rex idem est populi. Tua nunc [c] Munstere simultas,
Quam sine coniugio tolli non posse putarâs,
Coniugio e nostris discessit finibus: ambo
Conveniunt: Scotis nullum discrimen ab Anglis.
Nunc qualem fecit natura, Britannia talis:
Lilia nunc eadem: nunc ijdem, Insigne, Leones
Aucti in vtrumq; sinunt, coniuncta potentia crescat.

[a] Provincia in qua Edinburg. Metropolis.
[b] Barwicke.
[c] Műst. Cos. lib. 2. ca. 12. de insula Britan.

*Guil. Prowse Exon. in Art. Bacc.*

CUm spirat Zephyrus placidaq; immurmurat aura,
Concinere insignis candore Caystrius ales
Naturâ mandante, solet placidoq; susurro

Lætanti miras modulari pectine voces.
Spem votumq; poli, camerati curia cœli
Angligenûm Regem solio decrevit avito
Invictâ firmare manu, plausuq; benigno
Magnates, populus, clarorum & turba virorum
Accipiunt lætè, magnâ stipante catervâ:
Et nos, qui Musas, tranquillæ & gaudia pacis
Excolimus, summumq; sonant præcordia Phœbum
Bellerophontæam reticendo vovimus iram?
Non tam cæca iaces fornicibus intercepta
Enthea vis animi, quin lætæ carmina genti
Mira canam; Sol occubuit, nox nulla sequuta est.
Festa dies Fastis gratè adnumerabere nostris,
Quo regem accipiat gens Anglica, cella curulis
Rara Iacobæi saxi & monumenta Iacobum,
Quod super imponent ostrum, Tyriosq; tapetes,
Diues Hyperboreis splendescens purpura gemmis
Regis sceptrigeros ornabit clara triumphos.
O quàm te memorem (Princeps) cui rector olympi
Hoc regimen cum luce dedit, cui sacra Minerva
Omnisciam galeam, rerum & mysteria pandit,
Cui sceptrum, dibapho Magnatam pignus in ostro
Tradet, cumq; illo fidissima pectora soluet.
Ferratasq; acies perlustrans Anglica pubes,
Te, sociosq;, novis cunabula ponet in hastis.
Tempora quamprimùm sacro diademate cingat
Læta cohors procerum, sceptroq; insignis & auro
Haud violanda tuis imponas iura Britannis.
Contremet Hispanus, belloq; Hibernia presso
Horrida sanguivomi calcabit guttura monstri.
Ergò tuum regnum auspicio moderare secundo,
Quod longum, latum, fœlix faustumq; precamur,
Transeat Herculeas vt gloria vestra columnas,
Cum Iove sceptra geras, gestarum gloria rerum
Te ferat ad celsi laquearia cærula cœli.
Vt fiat, gratis resonamus vocibus, Io.

*Ric. Amye Bacc. Art. Exon.*

NAvis, amisso Pelagi magistro,
Africi prudens metuit Procellas,
Ne super Syrtes violenter actam
Obruat æquor.
Navis, amissâ Pelagi magistrâ,
Africi frustrà metuit Procellas:
Castor & Pollux bona signa nautis
Æthere fulgent.

Hoc vno solùm prodesse nocendo videtur
Mors, quòd quæ tenuit modò sceptra Britannica virgo,
Mascula mutato sexu est nunc visa renasci.

*Carolus Kirkman Art. Bacc, Socius Coll. Magd.*

M*Agnanime Princeps*, Splendidum patriæ decus,
Gratus Britannis, gratus in patriam venis,
Vernacula capis sceptra, dum nostra accipis;
Diadema proprium (dum tenes nostrum) tenes.
Angusta nimis est sphærula, & luci tuæ
Non apta *Scotia*, Neutiquam parvus queat
Orbis sagaci facere Saturno satis:
Tres petit at alios, auctus & regnat tribus.
Sic tibi Beate rector & Princeps parum
Dum placeat illa gleba telluris: potens
Deus ecce, parvæ huic sphærulæ, trinos dedit
Alios, movebit sphæra quos orbes tua.
*Britannia, Gallia*, tertia ac istis venit
*Hibernia*, tria hæc regna iam faciat tibi
Coniuncta quartæ, (quam regas) sphæram vnicam.
In hac triumpha; mitis hinc radijs tuis
Foveas iacentes, pariter his faveas precor,
Qui te salutant principem primò suum.
Ortu nitescis, perge fœlici pede;
Regnes, triumphes, floreas, vincas, tibi
Omnia secundet, cuncta qui potest Deus.

*Tho. Mason Bac. Art. Coll. Magd.*

NVbe pendebat Leo; Quis Leonem
Angliæ regem retulisse dicat,
Cùm priùs Regem sibi surrogasset
Terra Iacobum?
Indicem si quis sibi veritatem
Advocet, Regnum putet indè quintum
Daniæ, nostro potiùs Iacobo
Adijciendum.

*Io. Warner Bac. Art. Coll. Magd.*

*In festum Paschatis Elisabethæ exequijs destinatum.*

P*Ascha* nunc verum celebrant *Britanni*:
*Agna* mactata est, *Iovis* ira cessit,
Angelus stricto metuendus ense
Transijt Anglos.
Redditâ cœlis superisq; *Elisâ*
Perditæ gentis scelus expiatur,
Et necem nostro capiti imminentem
*Iova* removit.
*Stella Iacobi* Pharias tenebras
Dispulit, Pacis iubar ecce fulget:
Sic suam *Goshen* Deus ambit, ornat,
Armat, amatq;.

*Io. Mosely Bac. Art. Coll. Magd.*

CVnctorum votis satis vno munere fecit,
Qui Diadema dedit ferre, Iacobe, tibi.
Prudentem voluere alij Regemq; disertum;
Civica quem voluit turba, Iacobus adest.
Bellatorem alij lætumq; horrentibus armis;
Bellica quem voluit turba, Iacobus adest.
Ingenuas alij callentem & Apollinis artes;
Musica quem voluit turba, Iacobus adest.

O quater & quoties non est numerare, beatos:
Cum tu qui peteris, quod voluere, velis.

*Tho. Watkins Nov. Coll. Soc. Bacc. in Art.*

VT benè coniunctum *Brutus* diviserat orbem,
Et simplex regnum fecerat esse triplex:
Sic malè divisum hunc, *Iacobus* iunxit in vnum,
Et simplex fecit, quod fuit ante triplex.
Orbem iunge Orbi, toto dignissime mundo;
Non reliquus, qualem parvus hic orbis, habet.

Dixit poeta (*Finis alterius mali,*
*Gradus est futuri:*) nostra vox aliter sonet;
*Gradus est futuri, finis alterius boni,*
Boni *Iacobi* scilicet *Elisæ* bonæ.

*Ioh. Hassard ex Aulâ Cervinâ, Generos.*

SI, quod ait duplici mirandus imagine Ianus,
*Principium capiant Phœbus & annus idem:*
Qui, statuente Numa, Iano novus incipit annus,
Mense tuo, Mavors, incipiendus erat.
Martis enim primùm, non Iani mense, Britannis
Affulsit lumen (Rex Iäcobe) tuum.

Qui rexit populi partem sex lustra Britanni,
Det Deus vt totum plurima lustra regat.

*Guil. Hill ex Aul. Cerv. generos.*

Κάλλιπεν ἐν σκοτίᾳ δῦνον φάος ἠελίοιο
Νήσου μέρος Βρεταννικῆς
Ἀγγλῶν πατρίδα γαῖαν· αὐτὰρ πάλιν ἐκ Σκοτίας φῶς
Ἀνέτειλεν, αἶψα δ' ἐν σκότῳ
Φέγγος λαμπρότερόν τε φαεινότερόν θ', ὅτι νῆσον
Ὅλην, φανὲν, Βρεταννικὴν

'Αυγάζει· μέγα θαῦμα, θεοῖο τε ἔργον ἐκείνου
Ὅς, ἐκ σκότους λάμπειν φάος
Μοῦνος φραδμοσύνῃσιν ἑαῖς ποίησε κελεύσας,
Ἐλέησε λαὸν δ' Ἀγγλικόν.

*Lau. Wodhull Sac. Theol. Bacc. è Coll. Aenei-nasi.*

ROma noverca fremat, ſperet licet aurea ſæcla,
Subijciat Chriſto ſceptra ſuperba ſuo.
Dediſcat ſpirare nimas, ſperare Britanni
Hæc ſceptra Imperij corruitura brevi.
Anglia cantat Io, tollitq; ad ſydera palmas,
Quod novus in Solium Rexq; decuſq; venit.
Scotia cantat Io, ſocialia fœdera iungens,
Fœdera per longos non violanda dies.
Belgica terra diu ſævis concuſſa procellis
Belli, reſpirans, erigit ægra caput.
Civica compeſcunt incendia Martis, Hiberni:
Mitior illorum lenijt aura ſinus.
Omnia nunc florent te Principe, magne Iacobe,
Te ver perpetuum quodq; ſequatur, erit.
Relligio, Princeps, pax, templa domoſq; viroſq;
Protegit, armat, alit, legibus, enſe, manu.

*G. Ioanes Art. Magiſt. è Coll. Aeneinaſ.*

SCotia lætetur, lætetur & Anglia, venit
Lætitiæ vnitæ fons, & origo novæ.
Anglis iſta fuit felix connexio Florum,
Vnio ſed nobis hæc meliora tulit.
Prima domos iunxit: quòd iunxit at altera gentes
Vnio, debemus nos tibi quarte Leo.
O Regina vale, tua te ſuper æthera vexit
Virtus: in cœlis digna corona datur.
Te talis ſequitur (Rex invictiſſime) virtus,
Et tibi iam terris digna corona datur.
Flos erat Hæc Florum, Leo ſic eſt Ille Leonum:
Hæc geſſit vultu, hic pectore ſigna gerit.

*Io. Smith Art. Mag. ex Aede Chriſti,*

Tem-

TEmpore lætitia & luctus nascuntur in vno:
Funus *Elisa* tuum, Lux *Iacobe* tua.
Læta & acerba dies, Sol nubilus & sine nube
Exoriens, dubios sistit & vrget equos.
Spem præter, sperent Britones felicia, quando
Lux eadem præ se vulnus opemq; ferat.

*Tho. Spencer D. Guil. Sp. Milit. F. et Hæres, Aed.*

PAcificum dicunt alij te (Maxime princeps)
Ast ego belligerum te puto. Bella cies.
Qualia? Iacobum quis prædicet aptius. Hæc lis,
Sint semper nobis talia bella, precor.

*Guil. Diggs Exoniensis Coll. Generos.*

HEu quam dissimiles luces: modò tristior illa,
Hac nunquam illuxit lætior vlla dies.
Nunc iterum intrepido vitales ducimus auras
Pectore, nunc iterum libera turba sumus.
Nunc effusa pio testamur gaudia plausu,
Corda quibus vera relligione calent.

Qualis reversus cardine ab Hespero
Sol nigriorem discutit æthera,
Nec fata nobis dorimendum
Perpetuo statuere somno:
Talis superstes (maxime Principum)
Nobis reducens post tenebras diem
Caliginosa nocte solve,
Nubibus exiliens fugatis.

Edite priscorum sacro de sanguine Regum,
Sed virtute magis nobilitate tuâ.
Nestoream clemens donet tibi Parca senectâ
Aurea felici pollice fila trahens.

Et tua regna beet fœcundo copia cornu;
Nec pax, aut pacis desit Alumna Ceres.

*Richardus Boorne Novi Coll. Socius in Art. Bac.*

VT quondam Isacus, proli benedixit Elisa:
Relligio est proles, tùm benedicta, minor;
Ille vetustatis fingens sibi nomina, partes
Papicola est, Esau qui senioris agit.
Ille dies luctus fatumq; precatus Elisæ
In fratrem statuit tela facesq; suum;
Ecce dies luctus; quia fata subivit Elisa
Nunc Abrahæ Isaco proxima tecta sinu.
Nec scio quid tantis Esau profecerit ausis:
Hoc scio, iam verus sceptra Iacobus habet.

REgia secretos nescit fortuna recessus,
Stat quasi conspicuo Pyramis illa situ;
Oderit hanc regni malè parti conscia lucem
Oderit hanc furijs mens agitata suis:
Sed tibi maior eo surget, (sanctissime Regum)
Spectari possis quo magis intus, honos.

MAxime rex de te scribuntur magna, nec Orbis
Scribere, vt haud possit plus superesse, potest:
Tu lege, de meritis proprijs & amore tuorum,
Quæ scribunt alij, verùm ego quæ taceo.

*Ioannes Hoskins Iurista Novi Coll. Soc.*

SCotica regna recèns triplici superaddita regno,
Et tribus armorum superaccessisse leonem,
Quid nisi demonstrat (præstet cum robore brutis)
Viribus & vires auctas & robore robur?
Tempus erat faustum, socialis fœdere lecti
Cum Rosa iūcta Rosæ quondam esset, candida rubræ;
Cur minus hoc faustum, leo quando leonibus (Angli)
Iam Croceis Rubeus tribus est superadditus alter?

Sunt

SVnt Flores pacis, sunt belli insigne Leones;
Qui quod vtriq; tibi clypeo iunganturin vno,
Sis precor & bello, Princeps, & pace beatus.

Omina principijs insunt fælicia lætis,
Faustus & a faustâ descendit origine finis.
Imperium ecce tuum, (Rex insignissime Regum)
Ceperat auspicium fælici a tempore veris.
Quo quia iucundo viridescunt omnia vultu,
Sint tua perpetuæ viridantia tempora pacis.
Vtq; diem memorem; quo te (sanctissima Virgo)
Angelus admonuit genitum de stirpe Mariæ
Rectorem populo Servatoremq; futurum,
Anglicus hoc ipso sic proclamaverat ore:
Nuncia læta fero; genito de stirpe Mariæ
Aurea Regali cesserunt sceptra Iacobo.

*Thomas Tesdale Iurista Novi Coll. Soc.*

QVid? quod sidereas dei puellas
Inter, diva regat choros Elisa,
Pallentes Erebi iubar Britannum
Numne vmbras patitur? vale querela
Ad fati varios sequar triumphos.
Nam lux non cecidit, beatiori
Flammâ sed rutilans, leves per auras
Labi visa fuit, facem datura
Cœlo Seraphico: corusca lapsam
Lampas consequitur: dies diei
Cessit, magnanimus Iovi Tonanti
Saturnus, Leo nobili Leoni,
Clarentiq; suo Diana Phœbo;
Felix perpetues iubar (Iacobe)
Et seros radijs bees nepotes.

*Samuel Radecliffe Æneo-nas. Art. Bac.*

Quis

QVis putet in medio celebrari gaudia luctu?
Crederet aut lætâ funera voce coli?
Tanta tamen mitis fuit indulgentia cœli;
Tam placido populum respicit ore Deus:
Præveniant miseros vt publica gaudia planctus;
Cogitur hinc subitò victus abire dolor.
Heu quantos luctus, suspiria quanta dedisset
Anglia purpureas dilaniata genas?
Si prius ingentis vidisset funus Elisæ,
Quam tua cepisset Regia sceptra manus.
Nunc secura suos, te consolante, dolores
Exuit, & niveis læta triumphat equis?

*Clemens VVescomb. Art. Bac. Novi Coll. Soc.*

QValis erat iuvenis quondam sententia Cyri,
Quæ dedit & patri, laudis avoq; satis;
Iudice vel Momo sit talis, Elisa, Iacobus;
Hic inter divos maior, at illa deas.

*Gulielmus Barlow; Ædis Christi.*

CVm rutilum magnæ pateretur lumen Elisæ,
Credideram nullas posse nitere faces:
Fallebar, Luna illa fuit: succedis Apollo,
Maiusq; emittis (Dñe Iacobe) iubar.

PAx & Relligio moriturâ nuper Elisâ,
Sollicitam ornabant vtraq; mæsta fugam:
At simul andierant te regno (Iacobe) potitum,
Adventu redeunt vtraq; læta tuo.
Magne Deus, multos serves illæsa per annos
Regna, quibus Pax est Relligioq; comes.

*Henricus Shelleius Novi Coll. Socius*

ANglia, tu titulos alijs diadematis, vnus
Tibi Iacobus contulit.

Tu

Tu Reges alios, Te Reginam, Anglia, fecit
Tibi regna iungens Scotica:
Hoc vno felix, vt mittam cætera, Regem
Regnare non Equitem vides.

*In insignia diadematis Anglicani simul Senescallorum familiæ & Scotiæ.*

INvicte Rex (hoc ter Leones arguunt,
Quos & Senescalli, iam & Anglia, & modo
Scotia dedit) quid tres simul Flores volunt?
An Galliam, Britanniam, cum Hibernia
Vni tria tibi regna cessisse arguunt?
An, quam solent, serenitatem præferunt?
Hoc, Flora præsta vnum, sereni eant Dies.

*Nic. Hele Iurista, Novi Coll. Soc.*

QVæ modò muta fuit, loquitur (Rex maxime) Musa:
Hoc faciunt pro te gaudia, posse loqui.
Has tibi primitias sacro, quas ipse dedisti.
Æternùm regnes (Rex Iacobe) precor.

*Ioannes Young Exoniensis Coll. Generos.*

ELisabetha iaces: maior regit. Anglia plaudas,
Vertitur in summum quòd tua Iuno Iovem.

*Robertus Northleighe Generos.*

PApa quid exultas? vel quid Iesuita triumphas?
Num quia Brutigenûm splendor Elisa perit?
Ast huic in regnis iam successisse Iacobum
Noscite; qui vobis grandior hostis erit.

*Iohannis Evett. Generos.*

OCcidit Angliadum Lux maxima: maior oborta est.
Principis occasus Principis ortus erat.
Quæ Mors intulerat (Rex inclyte) damna rependis:
Sic mala sunt nostris accumulata bonis.

*Gulielmus Hollandus Exon. Coll. Generos.*

In

*In adventum exoptatissimum illustrissimi Regis Iacobi carmen.*

GRatus ades, dilectus ades (Iacobe) Britannis;
Qui sua iam tradunt sceptra regenda tibi.
Propitium venisse Iovem dant signa triumphi,
Curia quos celebrat, quos pia rura colunt.
Credimus Angliades in civica bella paratos?
Credimus accensas Martis vbiq; faces?
Sed duce te populi, placidis allabitur alis
Aurea perpetuos Pax habitura dies.

*Iohannes Harris Exon. Coll. Generos.*

SVmmus ab Arctois, immenso sub Iove, Cæsar
Imperijs mundi, florentes pace Britannos
Respice iam tandem. Redeunt nam tempora, prisci
Quæ in votis habuere patres, Saturnia sæcla,
Cùm sine funerei belli civilibus armis
Angliadum fortes tradunt tibi sceptra Leones.
Huc deflecte pedem. Iunctis Diademata signis
Accipias, per quæ tua magna potentia surgat.
Gallica dant *Flores* tibi sceptra: *Leunculus* addit
Scotica: Hyberna *Lyræ*: trini tribuere *Leones*
Anglica: sic fluxit nostri tibi gloria sæcli.
*Lilia* fronte tuo, magni sunt munera veris,
Gallica vernales debet tibi terra triumphos.
Fronde reuincta *Chelys*: Nymphis & Apolline digna,
Iuvernæ lætum signant tibi symbola regnum.
Terribiles quatuor iuncti sub corde *Leones*
Invictum te Marte Ducem, tua fortia bellis
Facta docent: ambo, Laurus, Mavortius ensis
Cœlesti faustum seruent te numine Regem.

*Guil. Hele Exonien.*

OCcasus multum nuper fulgentis Elisæ,
Inter nos ortus causa, Iacobe, tui.

Te

Te nostrum primo Solem veneramur in ortu,
Æterno sceptrum luceat igne tuum,
Inter nos longo splendescas lumine, nunquam
Detur vt occasum posse videre tuum.
Quisq; hoc, cui pectus natura reliquit amicum,
Te primo regni mane salutat, Ave.

A facili Phäeton peteret cum signa parente,
Nosceret vt verum per data signa patrem:
Obtinuit, voti compos, quæcunq; rogavit,
Et patrios impar viribus egit equos.
Qui rectâ a nostro descendis origine Phœbo,
Qui Rex a nostris Regibus ortus eras:
Ascendas patrios animoso pectore currus,
Non te sors eadem, quam tulit ille, manet.
Et forti sceptrum dextrâ tueare parentum,
Vt par sis proavis req; locoq; tuis.
Cum solus patriæ sis sedis nobilis hęres,
Hęredem patriæ nobilitatis agas.

NAturæ video præsagia vera, Leonem
Pingentis inter pectora:
Sive tuæ, in primo, fuerat sibi conscia, partu,
Natura fortitudinis:
Sive tuis addi, quòd noverit illa, Leones
Debere nunc Insignibus.

*Gabriell. Teynter Novi Coll.*

*Ad Henricum Fredericum Walliæ Principem.*

IMperio, virtute, fide, Clarissime Princeps
Successure patri, nostræ spes altera gentis,
Perge vt cœpisti, sequitor vestigia patris:
En viuum exemplum, certissima regula vitæ,
En tibi relligio, virtus, doctrina parentis,
En pietas; sequere hæc, tua, te, sic Wallia iactet
Principe, sic Angli lætentur Rege futuro.

Qui

QVi duo magnorum coniungis nomina Regum,
Regum virtutes, & pia facta refer.

*Tho. Palmes Art. Bac. Coll. Trin.*

HÆret vt ambiguus confusâ mente viator,
Obuia cum dubium semita monstrat iter:
Sic animus meus ancipiti modò fluctuat æstu,
Læternè, an madidis fletibus ora rigem?
Elisabetha obijt: lachrymarum flumina fundam;
Lætabor, sceptrum Rex Iacobus habet.
Cum sic in varias trahitur mens anxia partes,
Mirum est vt læter collachrymemq; simul.

*Dau. Iames è Coll. Merton. Alum. Reg.*

PApa priùs doluit morosa quòd Anglia, Numen
Sanctorum atq; suas nollet habere Cruces.
Euge Pater plaudas: *Iacobum* Numinis instar
Nunc colit, atq; tuis erigit Illa Cruces.

LIppus Papa fuit radiantis luce Dianæ:
Ni fallor Phœbi lumine cæcus erit.

*Iohannes Iames è Coll. Magd.*

ANglia mœsta dolet, flevit quia nupèr Elisam,
Atq; vt Elisa perit, sic perit Illa simul.
Anglia læta viget, sequitur quòd Scotus Elisam,
Atq; vt Scotus ovat, sic ovat Illa magis.
Anglia sic mœsta est; sic læta est Anglia: quorsum?
Mœret Elisa tibi, læta Iacobe tibi est.

*Cornelius Tinley. è Coll. Magdal:*

COlchicus, vt memorant, Aries tulit aurea quondam
Vellera, sed dives lana cruenta fuit:

Mar-

Martius at nobis Aries fert aurea demum
Vellera, ſanguineo quæ ſine Marte valent.
Colchica diripuit Pegaſæus vellera Iaſon,
Vellera divinus noſtra Iacobus alit.

AVrum Phrixæo memorant ſub ſydere naſci,
Et verè: nobis aurea ſeclâ parit.

*Robertus Percy ex æde Chriſti.*

LVna dedit lucem, tenebris obducta receſſit,
(Proh dolor) & nulla reſtituenda prece.
TEmpore Sol longo denſa ſe nube recondens
Emittet lucem nunc ſine nube ſuam.

*Rich. Monington Au. Gloceſtrenſis Generoſ.*

*Anglis nova nautica pyxis*

NAutica cur pyxis glacialem tendit ad Arctum?
Naturâ parili gaudet vtrumq; loco.
Ad Regem properat cur turba Britanna Iacobum?
Suadet ius, pietas attrahit, vrget amor.
Reſpice, nauta, polum Boreali ſede remotum,
Locrini quondam iam tenet Ille locum.
Nec tamen antiquis deſunt ſua gaudia Cambris
Proſilit, Henrico, Cambria læta, Duce.
Bina diu vigeant, mutatis ſedibus; Aſtra,
Vrſa minor proles, maior & Vrſa pater.

*Anthonius Duckett. Gloceſtrenſis*

DIC mihi cur duplici corpus non ſede moratur,
Cum triplici Solio Rex ſine lite ſedet?

*Chriſtophorus Brooke Gloceſtrenſis.*

ANglos pertimuit dudum tres Papa Leones;
Credo expirabit, cum leo quartus adeſt.

*Vincent Goddard. Coll Magd.*

Ri-

RIvales, modò, gaudium, dolorq;
Ad cordis solium mei, meorum
Certant de lachrymis ocellulorum;
Istum, fata piæ iuvant Elisæ,
Acerbissima fata, sic cadentis
Vt matura suis rosa in rosetis,
Illud fata pij iuvant Iacobi,
Fælicissima fata, sic virentis
Prosper vt medijs frutex in hortis.
His motum mihi cor vtrinq; , iustas
(Hærens cui tribuat magis minusvè)
Gaudio lachrymas dat, & dolori.

*Iohannes Slocombe Æuea-nas. in Art. Bac.*

QVæ nuper Britonum visa est fulsisse per orbem,
Deseruit nostrum candida luna polum,
Tradidit & rutilo discedens Lampada Soli,
Qui radijs auctus splenduit indè magis.
Mæstitiæ nebulas fulgenti disijcis ore,
Verq; novum nobis Rex Iäcobe facis:
Vixit Elisa; tenes hìc sceptra Britanna Iacobe,
Hac abeunte fleo, te veniente cano.

*Franciscus Merlandus è Coll Magd. Generos.*

IAcobum Hispanus colit & colit Anglus eundem
Spargitur vt nomen dive Iacobe, tuum?
Numen es Hispanis, pictus, si dicere fas sit;
Ergò Anglis vivus numine maior eris.

*Gulielmus Langton Generos. è Coll. Magd.*

NVnc Princeps, musas totũq; in pectora Phæbũ,
Vt mihi dent, & Te carmina digna, voco.
Phœbe taces? neq; fertis opem mihi Turba novena?
Nec Phæbum tangunt, nec mea vota Deas.
Obstitit hoc: Quod Tu sine Te non diceris vnquam;
Ergò mihi da Te, & carmina digna leges.

*Gualterus Raleigh, Equitis filius è Coll. Magd.*

Magna

*Ad Angliam.*

Magna animi tristis tibi causa est, maxima læti:
Sunt & tristitiæ, lætitiæq; vices.
Scilicet experta es, quid sceptro Fœmina possit:
Eia age, iam fasces experiere viri.

*Henricus Crispe Art. Bac.*

M*Aius* (qui nunquam *Geminos* (sua signa) Britannûm
Viderat imperio fungi, per *lustra novena* )
Aspiciens pariter *Iacobum* sceptra tenentem,
Atq; *Anna* fulvo cinctam diademate frontem:
Talibus affatur dictis: *Invicte Iacobe,*
Surgat in æternos *Benedictus Carduus* annos
Ille tuus: factis *Carlos*, pietate *Stuartos*
Exuperes felix: sit Coniux *Anna** *Perenna.*

Abdere se voluit *Thamisis*, cum sciret *Elisam*
Terris abdendam; sed non est passa Sororem
*Tweda* perire suam: quam sic affata dolentem
Solatur: Quin fide Soror, nec tollere frontem
Formida: iungemus aquas, & gurgite vasto
Vrbes insolitas, ignotaq; pascua lætæ
Lambemus; valeant fines; nunc ecce videbis
Iacobum; & tanti gaudebis mole Monarchæ.

* Vid. Rosinum: antiq. Rom. l. 2. p. 77.

*Iacobus VVrench Art. Mag. Coll. Magd. Soc.*

IEsuita notus, dum Britanni se facit
Sceptri arbitrum, titulos recudens plurimos,
Primò Iacobum, (cui facit ius vltimum,)
Nominat, & Infantam vltimò: Hanc primam crepans.
Iesuita, non est cur fremas: nos ordinem
Sequimur tuum, primòq; nominavimus
Iacobum, an & reliquos velis? negat Anglia.
Petitor vsquam si superfit, habe tibi
Iberiæ vel, cui studes tantum tuæ.
Nobis Iacobus primus est atq; vltimus.

Dolmannus in lib. Colati. par. 2. cap. 5. & 10.

*Iohannes Russe Coll. Orialensis Art. Bac.*

QVam diem ſemper timuere noſtri,
Turba quam noſtris inhians ruinis
Semper optavit, ſitiens victæ:
Funus Eliſæ.
Hæc dies venit, ſed vtroſq; fallens,
Gaudio noſtros ſaturat, dolore
Anglo-romanos: redivivus exit
Funere Phœnix.
Occidit Phœbe, ſibi pollicentur
Improbi noctem; tenebras coruſcus
Diſpulit Titan, roſeo coronans
Lumine terras.
Creſcit ex damno, geminaſq; ſumit
Albion vires: triplici Leoni
Iungitur quartus, domiturus acres
Vnguibus hoſtes.
Candidi ſoles tibi, Phœbe noſter,
Fulgeant; Phœnix, ſuperes vetuſti
Sêcla Phœnicis. rege, vive, dextris
Vtere fatis.

*Iohannes Berry in Art. Bac. Coll. Baliol. Soc.*

VEre novo accedis quandò ſol conficit arcus
Maiores, maior quò tuus arcus erit:
Perpetuò tibi creſcat honor: ſemel orta Britannis
Neſciat occaſum ſtella Iacobe tua.

*Antonius Tyringham generoſus è Coll. Magd.*

ANxia ſpes periijt, languet pax, gaudia ceſſant,
Illuſtris lachrymas Principis vrget amor:
Splendidus has ſiccat Phœbus lux, gloria, virtus,
Gaudia, ſpem, pacem, perficit, auget, alit.
Mars animat mentem, factis Aſtræa refulget,
Ingenium ſacrum, docta minerva regit.

In-

Inspirat Musas, dum spirant carmina Musæ;
Musarum fontes regia cura beat.

*Philip. Oldfeld Ænea-nasensis. Generos.*

ARva, domus cives, decreta, aræq; , sociq; ,
Pinguia, splendentes, inviolata, sacri,
Florent, lætantur, gaudent, fumantq; , valentq; ,
Singula te tali Principe nostra vigent.
Augusto diadema triplex cape pectore dignum:
Aspirent cœptis secula læta tuis.

*Richardus Anderson Ænea-nas. Generos.*

INclyte Rex, Hodierna dies documenta ministrat,
Quàm benè maiores ipse sequare tuos.
Iunxerat ante domos proauus, tu maxima regna:
Vmbra prior nexus posterioris erat.
Quantum regna domos superant, corpusq; figuram,
Tanto tu maius nomen & omen habes.
Vive pius, moderare diû, quas nactus habenas,
Et nectas regnis altera regna tuis.

*Radulphus Busshe. Generos. Ænea-nas.*

VNo, inquit Physicus, corrupto, nascitur vnum,
Vno nato, aliquid quod fuit ante perit.
Vera inquit Physicus: sed in his aliquando cadaver
In putre, & terram nobilis exit homo.
Cumq; animal vivens ex non animale creatur
Sensim, imperfecto semine surgit opus.
Non vltra Natura potest: En mira propago,
Perfecta' & numeris vndiq; tota suis.
Supra naturam, moriens produxit Elisa
Ingenioq; virum, institiaq; deum.
Hæc tanto reliquos superat generatio partus,
Quanto, perfectum debile, vita necem.

Cœcus micanti cur fero Soli facem?
Siccus marinæ cur leves guttas aquæ?
Summo poetæ cur metri nudum pedem?
Non solis vllum lumini fax dat iubar:
Non auget vndas vna gutta Nerei:
Non pes poetam Principem nudus iuvat.
Per se micat Sol, mare fluit, vates canit.
Iacobus ingenio Poeta, Sol, mare.

QVi tantus per se fuit, & nunc addidit, illi
Quicquid Elisa fuit maxima; quãtus erit?

QVantus erit? tantus quem nõ mens cogitet vna;
Tantus quem nequeant Regna tenere duo.

*Robertus Fawne Novi Coll.*

ANglia tolle caput, lætam meditare Camænam
Munera da digno Principe digna tuo.
Elisabetha suos fatis abrepta, Iacobe
Commendat fasces imperiumq; tibi.
Te regem regit alma fides, regit inclyta virtus:
Et tibi dux virtus te facit esse ducem.

*Io. Holte. C.C.C.*

REx cum sole novo cepit moderamina: soles
Abstulit vna dies, attulit vna duos.
Lumina terra capit capit & nova lumina cœlum,
Sic terra & cœlo lumina clara micant.

*Iohannes Byam Exon.*

OLim falsidici nomen (Iuvenalis) habebas,
Cum dixti *minimâ contentos nocte Britannos,*
At nunc si scires quibus est effusa trophæis
Anglica se quantis attollit gloria rebus,
Quòd clangente tubâ, circumplaudente senatu

Cara-

Cæruleis invectus equis, diademate cinctus
Auspicijs rutilante bonis, hanc, clara deorum
Tellurem soboles, divûm genus, ipse Iacobus
Ingreditur! rumpunt adeo pia gaudia somnos,
Vt caneres, nullâ contentos nocte Britannos.

*Hen. Seymerius, Equitis filius Magdal.*

QVos tuum fatum dubios, timentes,
Languidos, ægros, miseros, rigentes,
Mortuos planè, penitusq; nullos,
Fecit, Elisa:
Hos tuum sceptrum stabiles, quietos,
Strenuos, sanos, vegetes, beatos
Fecit, & vivos, penitusq; Divos,
Dic Iacobe.

*T. Bayly è Coll. Magdal.*

PApa olim peperit: nunc ne parere recuset.
Vt fiat parens, qui fuit antè parens.

*Ioh. Woodford Ædis Christi.*

TEmpus ad hoc, sunt lustra novē sine lite peracta,
Nec tulit aversos Anglia nostra deos,
Virgineis sed nixa humeris, suffulta lacertis,
Floruit; ô sceptro fœmina digna suo.
Illa sed heu patrijs confecta & saucia curis,
Nictantiq; oculo mox obitura diem:
Vt solet occiduus sua perdere lumina Phœbus,
Languet, & ad superos tendere fessa cupit:
Annuit omnipotens: stellatum scandit Olympum,
Et sedet in medio nunc Dea facta polo.
Expectat trepidus Priami nova sæcula mundus,
Spirarunt miseras tempora nostra neces,
Anglia cui cedat nescit, parere necesse est,
Non libet Hispano subdere colla iugo,

 Ecce

Ecce tuis gestandam humeris se tradidit vltrò,
Et redit in Titulòs (magne *Iacobe)* tuos.
Dant factis Astræa fidem, & regalia iura,
Iurat & in sceptrum pax pietasque tuum.
*Anglia* cor, caput est tibi *Scotia*, *Gallia* læva est,
Terra tibi Dextræ est instar *Hiberna* manus.

*Henricus Ashwood è Coll. Magd.*

HInc dolor, hinc gemitus, & passis crinibus horror,
Quod cecidit, cui dent sæcula nulla parem.
Hinc spes, huic facies rerum lætissima: regno
Quòd potitur, cui dent sæcula nulla parem.
Iam voco crudeles Parcas, iam tristia fata,
Quod tantam terris eripuere Deam.
Invoco iam mites Parcas, iam prospera fata,
Quòd tantum terræ restituere Deum.
Anglia mœsta Deam doleat cecidisse: Iacobum
Sed rediisse Deum gaudeat illa magis.

PHœbus (non mirum est) cœlo qui semper Eöo
Fulsit, ab Arctoo lucidus axe venit.
Rex, tu Phœbus ades: nam seu radiantia mittis
Lumina, seu fundis carmina, Phœbus eris

*Samuel. Fell. ex Ædi Christi.*

*PATRIÆ.*

FLes decus antiquum, fles patria lumen ademptum?
Et decus, & lumen Patria maius habes.
Læta tribus, quarto potes esse superba Leone:
Lux Phœbi Phœbes lumine maior erit.

*ELIZÆ.*

DIva Parens patriæ; non te cecidisse putamus:
Cur? quia viva Deæ regnat imago, Deus.

*Iohannes Browne Ædis Christi.*

Qui

QVI poteras donum Nato dare Principe dignũ, Βασιλι-
Te licèt indignum pauperis istud habe. κὸν δῶρον.
Vt tria regna capis, sic horum quodq; tot annos
Det vitæ, tua quot prima dedere tuæ.

*Iohannes Ley Ædis Christi.*

EN nóva lux oritur; Phœbũ quid flemus ademptũ?
Phœbus adest alius, nec tamen ille minor.
Lumine multiplici, numerosa prole beatos
Nos facit, æternum spondet adesse diem.
Quare age, (Phœbe recens, ) fœlicibus vtere fatis,
*Spe* perge auspicijs ad *Meliora* bonis.
Ecce tibi, præstans magni pars subiacet orbis,
Et faciles aditus ad nova regna patent.
Concedant radijs nubes, & nocte fugatâ,
Te duce, læta tuis adsit, & alma dies.
Vtq; olim Phœbus; tumidum Pythona sagittis
Prosterne, innocuo pastor & esto gregi.
Sic te non capiet, qui singula continet Orbis,
Sic tua laus, toto non erit Orbe minor.

*Thomas Harlowe Æde Christi.*

QVattuor insigni gestas Iäcobe Leones
Quattuor vt poßis Orbis habere plagas.

*R. F.*

ÆTernum sileat qui nunc silet! omnia quando,
Et maria & cœlum terraq; visa loqui:
Velox ad cunctos pariter iuvenesq; senesq;
Et pueros ipsos blanda Thalia venit:
Gaudia quæ nobis adfers clarissime Princeps
Dicere nemo potest, nemo tacere potest.

*Thomas Egerton Ænea-nas. Generos.*

EXultat lætis Academia tota triumphis;
Nullus ego ne sim, hîc vltimus esse volo.
Inclyte Rex, pro te puer (id quod primus & imus
Optat) in extremo margine posco Deum;
Vt felix vivas, & sceptrum posthuma proles,
Progenie nunquam deficiente gerat.

*Ioannes Drope Scholaris Colleg. Magd.*

Cùm Sol australi remeans à limite, currus
Flexerat ad Boream, reparans nova tempora veris:
Iamq; dies infanda aderat, qua conditor Orbis
Dilectam Angligenis statuisset tollere Elisam:
Sive scelus nostrum, seu sic sua fata ferebant:
Tum domitor mortis Mortem vocat, inde profatur,
Mors sceleris primi stipendia, linea rerum
Vltima, quæ cunctis incerto tempore certa es:
Ecce tibi languens morbis, & lassa senectâ
Elisabetha jacet, Thamisis quâ littora lambit;
Elisabetha dolos tot passa, & mille dolores.
Nunc satis illa sibi vixit: sit meta laborum.
Ergò age, rumpe moras, (virgo sata nocte) repurga
Quicquid in hac mortale fuit: nova regna capesset.
Dixit: at illa volat piceo velamine tecta,
Pallida, terribilis, nodantur in ossibus ossa;
Proq; oculis specus est: caret auribus: omnia sternit
Sensibus orba suis: comites habet illa sinistrâ
Arma, Luem, Senium, & graviora pericula mille.
Dextra tenet lethale, & inevitabile telum.
Hoc stipata choro, Reginæ ad limina tendit.
Quam postquàm invenit divino numine plenam;
Spirantem cœlum, nunc & super astra volantem:
Exuit horribiles vultus, & fronte serenâ
Mercurio similis, verbis ita fatur amicis,
O lux Brutigenûm, spes sola, salusq; tuorum;
Quid iuvat vlterius terrenæ hærescere glebæ?
Soláne Virgo potest hæc sceptra molesta tot annos,
Tot regere imperia, & tantos cohibere tumultus?
Ipse Deûm genitor tibi me demisit ab alto:

Te vocat, acceleres: ego ſum data ianua ad illum
Hàc iter ad Superos, tibi quò meliora repoſta.
Rettulit illa: Sequor quó ſpes mea ducit Ieſus,
Me tamen extinctâ maneat precor Anglia felix.
Talia *dicentis*, mors occupat vltima vocem.
Regia virgo jacet, qua non prior orbe, monarcha;
Extemplò Angliadum ſolvuntur frigore membra:
Dant gemitum, & triſtes tendunt ad ſydera palmas,
Talia dicentes: ô terq; quaterq; beati,
Altera quos genuit, quos & prior abſtulit ætas?
Nunc venit illa dies ſemper metuenda Britannis.
Heu quæ nos tellus, mare quod, quæ mœnia poſſunt
Accipere; aut quæ ſpes poſt mortem reſtat Eliſæ?
Queis neq; apud noſtros tutus locus: inſuper hoſtis
Imminet exitio, pœnam cum ſanguine poſcens.
Proponit ſibi quiſq; metus: bella, horrida bella
Quilibet expectat: turbantq; inſomnia mentes.
Pro re pauca loquor. Tanto diſcrimine rerum,
Attoniti coëunt Proceres; de rebus agendis,
Vt bene proſpicerent. Quos cum ſpectaſſet ab alto
Maximus *αω* יהוה, mœſtos & triſte gementes:
Non tulit vlteriùs; ſed tot peccata remittens,
Rurſus (ait) clementer agam: ſemel amplius illam
Anglorum vitem, cœleſti rore rigabo.
Nec mora: ſtellifero dilapſus ab axe miniſter,
Mittitur ad Proceres ramo redimitus olivæ.
Ventum erat ad limen: cernit cacodęmona dirum,
Nectentem inſidias, fraternaq; bella parantem.
Cui furiæ aſtabant, miſcentes toxica cædis.
Quos ſimulac ſenſit: procul hinc procul ite ſub vmbras
Noctis (ait) Stygias: ſic ſtat ſententia divûm.
Illi inviti abeunt. Intrat penetralia præco
Ætheris, ætherij ſpirans & amoris amorem.
Nec manet exteriùs: ſed per præcordia lapſus
Voluitur attactu nullo: nunc pectora mulcet,
Pixide depromens oleum, quod fœdera firmat.
Vngit & hôc fibras. Animus manet omnibus vnus:
Communis par cura boni: Vox vna: Voluntas

Nul.

Nusquam dissimilis. Iurasses ore loquutos
Vno omnes; quoniam tam congrua quisq; loquutus.
Prodijt hinc subitò vox vnica grata Britannis,
Magnanimum nobis Iacobum accedere regem.
Pandite nunc Helicona Deę, quid deinde sequutum.
(Vos meministis enim vos & memorare potestis)
Primus ibi ante omnes (nam non mihi visa tacebo)
Nuntius Oxonium venit ipse Noritius heros;
Antiquis illustris avis, & marte verendis.
Constitit vt medio, magnâ comitante catervâ;
Os humerosq; Deo similis: mirantur & omnes
Quæ nova fata ferunt. Cava buccina sumitur indè:
Ter canit, & sonitus ter rauca reverberat Echo.
Tùm sic exorsus. Placet omnia ferre sub auras:
Quid iuvat hæc cælare diu? Cognoscite Elisam
Iam superas adijsse domos, data fata sequutam;
Ipse patrum ritu (quibus hæc concessa potestas)
Nuntio legitimum Iacobum accedere regem.
Obstupuêre omnes, cunctis vox faucibus hæsit;
Spemq; metumq; inter stat saxea turba per vrbem;
Ac si Gorgoneæ spectaverat ora Medusæ.
Spes iubet esse hilares: prohibet timor: omnia mortē
Et vitam intentant. Neutrumq; & vtrumq; videtur.
Quid facerent? Nequeunt tantos sufferre dolores:
Nec possunt contrà tantam sperare salutem.
Postera lux oritur, niveo signanda lapillo:
Nuntius accelerat Londini missus ab vrbe;
Indubitata novi manifestans gaudia regis.
Quoq; magis credatis (ait) decreta potentûm
Aspicite Heroum, quæ promulganda feruntur.
Dixit: & Howsono (quo non integrior alter,
Præfuit Oxoniæ) dedit inclyta iussa legenda.
Vir pius haud potuit tantos cælare triumphos.
Convocat. Occurrunt primævi Heliconis alumni.
Res patet. Applaudunt. Induti & corpora cocco
(Invaluit quod more loci) solenniter omnes
Iacobum referunt per singula compita, Regem.
Quis tum lætitiam, quis & omnia gaudia fando

Explicet, Aut possit verbis æquare triumphum?
Iam stabat veneranda Phalanx, gravitate Catones,
Queis risisse novum, plaudentes, vertice ab ipso
Pilea tollentes. Tantos agit ardor amantes.
Affectu hos sequitur, superat clamore iuventus.
Flammat amor, Solem radiantem pilea condunt.
Et quoties nomen Iacobi fertur ad aures;
Ingeminant, *vivat; vivat*, loca muta reclamant.
Nec clamâsse semel satis est, iuvat vsq; morari;
Et tales audire, & tales reddere voces.
Te Mæcenatem clamant Heliconis alumni;
Te docti doctum; te fortia pectora fortem;
Te mites mitem; superantem laude priores.
Singula quid referam? Te te (ter maxime princeps)
Spem, votum, agnoscit ter fœlix Anglia regem.
Nec venit ignotus, toto qui clarus in orbe:
Nec venit invisus, votis quem poscimus Angli.
Buccina fama fuit, quantus Iacobus habendus.
Buccina vita fuit, quis post hac ille futurus.
Surge decus nostrûm, fœlicibus vtere fatis.
Papicolas I, sterne acies: tege pace Britannos.
Vos Scotorum vrbes, sub sydere Mænalis vrsæ,
Mittite Iacobum: cur gaudia tanta morantur?
Anglia tota suâ veluti iam sede revulsa
Fertur ovans, cupiens venienti occurrere Regi.
Huic vt lætitiæ meliùs spectator adesset,
Sol vagus arctoas propiùs iam vergit ad oras.
Fronde virent sylvæ. Vestitur gramine campus:
Credo equidem terram lætos tentare triumphos.
O fortunatum natum te rege Britannum!
Te duce bella silent. Redierunt aurea sęcla.
Pax viget; & latè ramos Ecclesia spargit.
Salue prisca fides, nullis ferienda procellis,
Auspice Iacobo Babilon fremit, horret Iberus,
Anglus ovat, Scotus lætatur, gaudet Hybernus.
Christicolæ applaudunt: Omnes vno ore precantur,
Laudetur, regnet, vivat, recolatur, ametur.

*Io. Prideaux Art, Bacc. Exon. è Coll.*

Qui

QVi præcinebant, vatibus constat fides;
Qui sustulerunt patribus constat genus;
Quod præparavit numini constat manus,
Henning. Mirande princeps ! bimus, & princeps Scotis;
Mirande princeps ! primus Anglis & Scotis.
Mirande princeps, qui Papæ spes non pias
Lusisti, Elisam reddis haud sepelis tuam.
Elisa non elisa; firmatur magis
In te (Iacobe) quem *SENESCALLVM* creat
(Loco ipsa cedens) divitibus Anglis suis
Regina Sanctâ facta dum terrâ sedet.
Accede [a] in ortu rex Alexander tuo
Et [b] spiritu etiam sis Alexander sacro,
Quicunq; princeps fratris vsurpet locum,
Vt Esau, Iacobus calce supplantes eum;
Luctâ angelorum dignus, excutias viros.
Potentiorem te quater reddit Leo
Quaternus; ornet hanc potestatem tuam
Flos Liliorum, Pax tua, in Cives Amor,
Et ab his reciprocus, atq; in officio fides.
Potentiam omnem sic coronatam tene.
Sic clamat omnis Anglia & quem sic amat,
Huc [c] Albicantem virgulam intentans eat;
Quicunq; dixit arma, desipuit timor.

[a] Leonis effig. in pectore, vt fama!
[b] Quē suaveolētē habuit.
[c] Verba regis.

Qui floris omen Vere perpetui venis,
Miraris Angli quid catervatim fluant?
Rex ab Aquilone tu venis, at alius tibi
Vel Rex ab Austro Sol in occursum venit,
Vt lucis omen det tibi æternæ, σκοτὸς
Nec nomen olim dederat, aut posthac dabit.
Sit obsecro omen; & tuum regnum Notum
Boreamq; iungat; ortum & occasum trahat.
Interea ad Anglos quæso festines tuos;
Centrum recludunt Angliæ & locus & viri;
Seruent receptum, te sera claudant fide.
Nunc totus intres; totus in hominibus sedes;
Et tu puerq; (par pari maius) tuus;

Tu

Tu & vxor, aliud par beatificum, tua;
Tu liberiq; paribus egregijs tui.
Regina triplex, Rex triplex, Regnum triplex,
Mens pace simplex civibus, bello triplex;
In pace, bello multiplex amor & fides.
Nunc totus in tres, Anglia expectat, rogat.
Spectat Aquilonis vnde Gazophylax venit. Ezech. 4.

*Ad sereniss. Vxorem, Annam.*

ET avia Elisa, & Sophia cui mater fuit,
Teneas Elisę σοφωτάτῃ nostræ Thronum.
Vrbs *Læta* verno quam coronavit die
Flos vernus esto *Lilium* æquans & *Rosam*;
Sic læta vive, prole lætifica vige.
Et quæ quaternum regium partum vides,
Totidem Leones (symbolum Regum) capis.
Sic vir, paterq; & filij Reges eant.

*Ad Principem Henr. Fred.*

PArvulus Henricus dum ad sphæristeria ludit
Fortunæ propriæ lusum imitando pilis,
Reddens & repetens, globus ecce Britannia nobis
Emissa est, inquit; moxq; refusa redit.
Et Collusorem, num Henricum viderit olim
Octavum hoc lusu se recreasse, rogat;
Atq; neganti iterum, *Tu Nonum* videris, inquit.
Euge Henrice, probè vaticinatus eras.

*De Saltante eodem.*

ET nisi sit mendax, (quam nunc tamen esse puderet
Famam) illi lusus sic saliaris erat.
Cum pulchrè sese circumgirasset in orbem,
Callidus in summos erigeretq; pedes,
Totum Anglo-Scotum vt circumspectaret in orbem
Spes (& Iure) suas; Rex, puer, augur ait,
Hęc decet Henricum circumgiratio Nonum,
Erige te tandem; te decet Orbis; habe.

Ad.

*Ad fratrem Carolum, Ducem de Rothsai.*

CArolus vocaris, merita te Magnum vocent.
Magnoq; maior quotquot à seclo tuum
Habuere nomen vincito; & desit nihil
Quod laudat illos, Maximum quod te vocet.

*Ad Elisabetham filiam natu maximam.*

NOmen amo & veneror (quis nō veneratur?) Elisę?
Nomen habes, & sis quicquid Elisa fuit.
Non quæro historię quot demirentur Elisas,
Nostra modo sexum vicit Elisa suum.
Nostra etiam vincat; tu nunc es nostra; coronam
Cum laude illius, dent tibi fata parem.

*Ad Margaretam filiam natu minorem.*

IVstitia superum quas vices (miras) habes?
Hæc Margarita Septimo Henrico Angliæ
Abducta. Verum qualis? adamantem puto
Reconciliationis, & amoris. Rosam
Credis Amethisti? qua redolet Anglus rosas?
Est Asterites cœlicam lucem gerens?
Num sanitatem Iaspis, aut magnas opes
Smaragdus offers? Margaritarum tene
Vim, pretia, nomen sola cunctorum omnia.

*Io. Sandsburie Art. Mag. Coll. Ioannensis.*

MVlti Te docti doctè cecinere Iacobe;
Omnibus vnanimi pectore gratus ades.
Non possum melius, non possum doctius illis:
Tantùm inter reliquos tu mea vota cape.
Vive diu, regna fœlix, Clarissime Princeps,
Cumq; tuo fœlix sanguine vive diu.

*Hen. Ball Glocestr. Generos.*

LIbera si facerent Anglis suffragia regem,
Omnibus è terris solus & vnus eras.

Vnus

Vnus eras verus nostræ successor Elisæ,
Illi tu iusto sanguine iunctus eras.
Ergo quibus votis nunc excipiere', Iăcobe,
Accedant mentis cùm tua iura tuis?

*Hatton Hawley Glocestr, Generos.*

SÆpe vetustorum Deus olim in nomine Regum
Prædixit, quantus quisq; futurus erat.
Fecit idem Deus idem in te, sanctissime Princeps,
Tam bene conveniens nomen & omen habes.
Cunctorum dominus Deus est: dominiq; *supremum*
*Servum, STEWARTVM* Patria lingua vocat.
Nominis omen habes fœlix & ab omine nomen,
Vt sis *supremus servus* in Orbe *Dei*
Ergo ferè in cunis (quod an vlli contigit vnquam?)
Tradidit imperij sceptra regenda tibi.
Quantum est à teneris assuescere? sceptra tenendo
Regalis didicit sceptra beare manus.
Ergò etiam maiora tibi nova Regna paravit;
Ostendens, regimen quàm probet ipse tuum.
*Euge Stuarte bone*; En tibi sunt duplicata talenta,
Altera habes sceptris addita sceptra tuis.
Perge age, quò virtus tua, quò clementia Divûm
Quò tua te *Spes*, Res (*ad meliora*) vocant.
Perge Deo regnare Tuo; sic namq; *supremus*
*Servus* in Orbe *Dei*, Rexq; supremus eris.

*Honorantes me honorabo.* 1. *Sam.* 2.

NOn opus exemplis aliunde: in Principe nostro
(Vidimus) illustrem vox habet ista fidem.
Nempe Deo populoq; suo (Rex Maxime) per te
Redditus est puræ Relligionis honos:
Teq; novis titulis Deus idem & honoribus auxit,
Teq; (precor) Titulis augeat vsq; novis.

*E. Coles Nov. Coll. Soc.*

Quo

QVo promulgatus fueras Rex (magne Iacobe)
Mensis erat *Martis*, lux *Iovis*, hora *Iovis*.
Hinc; seu quod iuncta est *virtus* cū Robore, seu quòd
Martis & auspicio progrediare Iovis,
Auguror omne bonum, & felicia tempora regni,
Curabit Natum Numen vtrumq; suum.

*Henricus Peryer Art. Mag. è Coll. Magdal.*

ET plango & plaudo: vario discrimine fertur
In bivio calamus: tibi dum componit (Elisa)
Laudes, virtutum memores: quæ gloria Regum
Fœmineumq; decus, fato prærepta Britannis
Et sedem dederas vacuam, plenumq; dolorem:
Atq; tuum (Iacobe potens) dum penna volucris
Scribit in augurium carmen: Tua magna potestas
Sceptrorumq; decus, me suadent vbere versu
Imperium narrare tuum: sed sceptra potentem
Induperatorem non ornant: scilicet ista
Ornantur Regis manibus, qui stemmate clarus,
Corpore conspicuus, præcellens robore mentis,
Imperium meruit, sceptris benè noverit vti.
Sola solent isthæc dignum monstrare monarcham,
Sola queant isthæc nostrum monstrare monarcham.
Fœlici auspicio Septentrio iungitur Austro,
Et Boreas nostro spiravit mitis in agro.
Vere novo disces verè vernascere (Princeps
Auguste) imperium assumes telluris Hibernæ,
Et quæ serpentes non nutriat; illa rebelles,
Illa venenatos non pascet terra Tyronos.
Perge, tuo sceptro sceptrum iunxisse Britannum
Laus erit: Hispanum discet succumbere ferrum,
Et pax alma tuas faciet mitescere fruges.
Et tibi (quæ nulli solitæ sunt parcere) Parcæ
Parcent: vt longo spatio dominere Britannis.
Progredere (ô Princeps multùm sperate) tuoq;
Imperio populus Christiq; ecclesia crescat.

*Abel Treffry Art. Mag. è Coll. Animarum.*

ANglia ſacra parens, ſacræ ſat fata Parentis
Defleſti: mortis non ſic Regina per vmbras
Auſtralis graditur: ſupereſt ſed imagine verâ
Arctôi Regis, Cui cum diademate liquit
Pacem, doctrinam, pietatem, & facta Leonum
Fortia, iamq; beans tanto fæliciùs Anglos,
Quanto fœmineam ſuperat lex maſcula legem,
Vel quanto Phœben præcellit lumine Phœbus.
Rex ſuperûm nigris ſic texit candida filis,
Damna bonis cumulans, vt quamvis noctis opacæ
Offuſcat terram facies, aurora tenebras
Diſſipet, & Solis redeant ſpectacula manè.
O ſemper fælix maneat ſine veſpere mane.

*Narcissus Hele ex Aula Lateportensi. Theol. Bac.*

VT Leo Quadrupedum Rex imperterritus omnes
Ingenita vincit nobilitate feras:
Sic Quales, Quantos tulit inclyta Scotia Reges,
Fortunæ cedunt ingenioq; tuo.
Diva etenim Divo Regnum dat Eliſa Iacobo,
Sceptraq; dat ſancto Fæmina ſancta Viro;
Et nouus illuſtrat lachrymantia climata Titan,
Dum repetit ſignum Virgo beata ſuum.
Ite procul nubes, tenebræ, noctiſq; ſorores:
Promittunt placidos ventus & aura dies.
Sic pluvialis hyems funus deflevit Eliſæ:
Sic roſa, ſic flores, te veniente virent.

*Henricus Phillipps Art. Magist. è Coll. Ænei-nas.*

SIs memor ô fælixq; ſatis, Gens Anglica, grates
Perſolvas domino; crudeli ex ore Leonum
Qui rapuit miſeros; atq; alma pace beavit
Indigenas, tanto felices Præſide rerum.
Papicolas, fratrum rabiem, radidoſq; Suitas
Terrigenas, furijs in mutua vulnera miſit;
Scilicet omnipotens effecit vindice dextra,
Qui turbant alios, ſimul vt turbentur & ipſi.

*Richardus Taylor Theolog. Bacch. Ænei nas. Soc.*

QVi Te, progeniemq; tuam Iacobe tuetur.
Verè Israelem dixerit esse novum.
Illius implerunt nati de semine terram:
Implebunt nati sic tua Regna tui.
Ille Deum vicit, nomenq; accepit ab illo:
Vicisti precibus Victor & Ipse Deum.
Iure tibi reges cedunt populiq;, Iacobe:
En cessit precibus nam Deus ipse tuis.

INclyte qui magnę maior succedis Elisæ,
Rex atavis & avis nobilitate tuis:
Sic regnis succede novis, sic regibus olim:
Sic reges cedant sic tibi regna precor,
Vt te scala vehat regnorum ad sidera tandem,
Vtq; vię regno sint tibi regna novo.

*Iohannes Vrrey in Art. Mag. & Novi Coll. Soc.*

QValis in occiduo iam Luna novissima flucttu
Mergitur, & properat venienti cedere Soli:
Talis Elisa tuos, vergente in fata senecta,
Destituis luce, vt surgentis stella Iacobi
Exerat, & pleno se totam proferat orbe.
Ergo age Magne Iacobe, tuo nos lumine lustra;
Emica in Arctôo præfulgens vertice sidus,
Nec solum Anglorum populi, Scotusvè, & Hibernus
Obstupeant fulgore novo; diffunde, tuumq;
Mitte iubar, quo Sol primo consurgit in ortu
Mirenturq; Indi incrementum Luminis alti,
Et geminum mundo stupeant se ostendere Solem.
Quinquaginta hyemes totas cape sceptra, Iacobe,
Fœmineâ regnata manu; rerumq;, hominumq;
Immuta faciem, imperioq; assuesce virili.
Et totidem super æstates iterùm adijce, felix
Principe in Henrico, & qui post nascentur ab illo.
Gestiat imbutam sacris *Ecclesia* mentem
Regis, & incoctum generoso pectus honesto.
Qui quibus hæredem Henricum pater imbuit, ijsdem
Ipse regat prudens monitis, populumq; sequacem

Prin-

Principis exemplo (*Donum ad Regale*) recudat.
Gestiat immensùm, quòd purè Laicus idem
Non sit, & hôc spretum refocillet nomine clerum.
Spemq; bonis faciat, non vlli impune prophano
Cessurum, sacræ qui læserit infulæ honorem.
Gestiat *Aula, Virum* solio insedisse potenti;
Gestiat & sceptro assuetum, pectusq; sagaci
Consilio fultum, & maturum rebus agendis.
Qui quatere ipse hastam dextrâ sciat, ipse ferocem
Flectere equum, gressus doceat glomerare superbos
Sivè solo insultet, seu fortem incurrat in hostem.
Gestiat & magnos titulos redijsse, potentum
Nobilium titulos, Lancastria nomina, claros
Wallorum hæredes, & Ebrancæ stemmata terræ.
Gestiat excultum Musis Academia, doctis
Artibus ornatum, nostris regnare diebus
Philosophum, & Regem sophiæ & virtutis amantem.
Collige te Oxonium; venerunt secula tandem
Quæ te deiectam recreent: modo tunde fluentem
Quam tibi Musa dedit venam: decurrat, & omnem
Funde Caballinis stagnantem fontibus vndam.
Nam properat, cui iudicium, cui pectus, & alta
Mens sapit, egregiè qui prosam noverit, & qui
Comprensam numeris legem; sciat Entheus ipse
Numine quo fluat, & quo currat acumine versus:
Et sciat hoc nostrum (incultum licet, & genij exors
Sed sciat hoc nostrum) quo incedat Apolline carmen.
Gestiat & Populus sanctum ascendisse tribunal,
Qui videat solers, quid ab æquo abscedat iniquum,
Iniustum à iusto; qui pressum vindicet, & se
Pupillo, viduæq; optatum præstet Asylum,
Parcere subiectis, onera extenuare laboret,
Visat inexhaustis turgentem litibus Aulam
Arbiter, & legum interpres fidissimus adsit,
Finiat & tardo hærentes sub iudice causas:
Et si quando manu sit opus, resq; arma requirat,
Externum avertat regnis fœlicibus hostem.
Talibus auspicijs ô terra Britannica felix

Prode tuum affectum variis concentibus; orbis
Audiat immensus, quæ Te fecere beatam.
Audiat Hispanus, Galliq; atq; Itala tellus,
Germanusq; potens; Turca audiat, audiat Indus,
Et quicunq; procul nostro removentur ab axe.
Fama rei circùm longè lateq; vehatur,
Perq; Arabum populos, perq; extremos Garamantas,
Quam bona contigerit tanti tibi causa triumphi.
Tu fruere hijs longùm ominibus, longùmq; Iacobus
Imperet æterna coniunctis pace Britannis.

*Ioannes Hamden Art. Mag. ex Æde Christi.*

QVis furor has nostras incessit nuper Athenas
Vt sic Castalias funderet Isis aquas?
Quæ modò iure loqui poterat vix Musa soluto,
Iam mea scit stricto ludere metra pede.
An Musæ huc tandem venere, Helicone relicto?
Amplior hic Charitum quam fuit antè cohors?
Vt sic Oxoniæ citò luxuriaret in arvis
Læta, poetarum tam numerosa seges?
En novus ad nostras accessit Apollo Camænas
Ora rigans Clariâ cuncta Iacobus aquâ.
E cuius cerebro videatur nata Poësis,
Vt fuit è cerebro nata Minerva Iovis.
O nova, multiplicato diu sub Apolline Musa,
Cumq; suâ Musâ crescat Apollo novus.

*Silvanus Griffiths ex Æde Christi Art. Magist.*

*Anagrammatismus.*

*Iacobus Stuartus Angliae, Scotia, Francia & Hibernia Rex.*

*EN IVBAR SVÆ ÆTATIS, LVX SCIENTIÆ, CERTA ORBIS ANCHORA, FIGE.*

QVid flemus amplius? dolorve pectora
Quid usq; fuscat nubilus?

Sol

Sol qui latebat abditus per horulam,
(Lucere quod desiverat
Miraculum totius Orbis, inclyta
Regina-virgo Cynthia)
Iam iam refulget clariore lumine,
Cœlumq; inaurat Anglicum.
ÆTATIS, EN, SVÆ IVBAR, SCIENTIÆ
LVX, inter Anglos emicat.
Confide nunc, quassata Christi cymbula,
Spes CERTA & ORBIS ANCHORA
Stat, en, Iacobo nixa, FIGE nunc ratem
Latiæ Charibdis faucibus
Adscitam, ab æstuantibusq, Syrtibus
Ibericis minacijs
Tutam, Iacobi præpotenti nomine.
Tu perge *Rex Celsissime*,
Ecclesiam, fidemq; pertinacitèr
Forti tueri dextera.

*Degoreus Where, Art. Mag. è Coll. Exon.*

SIc desiderium Matris nos vrit Elisæ,
Sic dolor amissâ Principe, pectus edit;
Vt, nisi quòd lætis saliant præcordia fibris
Te, pro Matre, Patrem cœlitùs esse datum,
Mæsta polos tristi nunc rumperet Anglia planctu,
Nec sua tristitiæ iam Panacea foret:
Sic etiam lætis saliunt præcordia fibris,
Te, pro Matre, Patrem cœlitùs esse datum;
Vt, nisi quòd desiderium nos vrat Elisæ,
Et dolor, amissâ Principe, pectus edat,
Læta polos hilari iam rumperet Anglia plausu,
Nec sua lætitiæ meta modusvè foret.
Si nos ergò minùs quàm par est plaudere cernis,
Hoc dolor, hoc pietas, hoc & Elisa facit;
Sin nos fortè minùs quàm fas est plangere credas,
Hoc Amor, hoc virtus, hoc Iacobe facis.
Vnum est de divâ quod iurè queramur Elisâ,
Præ planctu nimio plaudere sat prohibet.

Vnum etiam est de te quod iure (Iäcobe) queramur,
Præ plausu nimio plangere sat, prohibes:
Imò nihil querimur vel de te (Iäcobe) vel illâ:
Illa in te melior nobiliorq; redit.
Namq; Patrem pro Matre, Virum pro Virgine reddis,
Reginam pensas Rex juvenilis anum.

*Disticha.*

OCcidit, & vivit tamen Anglia, jamq; superstes
Ipsa sibi est; Matri posthuma Nata suæ.

SPes perit, haud exspes tamen est; Cor, haud tamen excors;
Atq; Anima ipsa, nec est exanimata tamen.

PErdit opes, gemmasq; suas locupletior vt sit;
Fit misera, vt fiat terra beata magis.

Vapulat (et meritò) ne vapulet Anglia, pœnas
Ne daret, ecce dedit; ne pereatq; perit.

*Anglia de se.*

MAnca fui, dum salva fui, me vulnera sanant;
Nunc sum tota, prius dimidiata fui.

*Ad Insulas Fortunatas Angliam Scotiam Hyberniam.*

BEata Anglia, at imperante Elisâ;
Beata & (libet esse si beatæ
Tibi) Hybernia, at imperante, Elisâ.
Beatæ geminæ nimis sorores!
Misella Anglia, at occidente Elisâ!
Misella & (licet esse jam misellæ
Tibi) Hybernia, at occidente Elisâ!
Misellæ geminæ nimis sorores.
Beata Anglia, Principe en Iacobo!
Beata & (libet esse si beatæ
Tibi) Hybernia, Principe en, Iacobo!
Beatæ geminæ minis sorores
AT tantùm geminæ priùs sorores!
Tres, Caledoniâ additâ, beatæ!
Perfectus numerus sororcularum!

Per-

Perfectus numerus beatitatum!
Misellæ, semel, ecce bis beatæ!
Misellæ geminæ; ecce tres beatæ.

*De Britannia sibi redditâ.*

ANtè fuit toto divisus ab Orbe Britannus, Virg.ec.1.
Et divisa à se terra Britanna fuit;
Nunc coit, & sese jungi sibi, læta triumphat,
Seq; sibi reddi quæ peregrina fuit.
Nec se disiungi toto orbe Britannia curat;
Ipsa sibi. Orbis erit, dum sibi juncta manet.

QVI fuimus minimâ contenti nocte Britanni, Iuvenal. Saty.2.
Dum regeret nostrum Cynthia sola polum;
Nunc, vbi venturo cessit Dea lucida Fratri,
Et Phœbus roseum spargit ab axe jubar,
Vivimus omninò nullâ sub nocte Britanni
Perpetuus nostro fulget in orbe dies.

OBducunt tenebræ diem Britannis ϰαὶ τὸ
Britannis Tenebræ diem reducunt.

*Ad invictissimum Regem.*

QVod gladijs alij prensant, quod cæde Tyranni,
Hoc non captando tu diadema capis.
Ambierint alij Reges vel non sua regna,
Te regnum ambivit (magne Iacobe) tuum.
Quodq; alij captant armis, quod acinace Martis,
Hoc dedit Astrææ libra togata tibi.
Sæpè foris alij, sua perdunt, arma movendo,
Tu tua dilatas regna, sedendo domi.
Tu non pugnando vincis, cunctando triumphas.
Cedendo superas, & renuendo capis.
Iura tibi solium, meritam lex æqua coronam,
Alma Themis capiti dat diadema tuo.
Iusta precor; sceptrum, quibus ipse potiris, eisdem
Æternùm teneas & tueare modis.

QVod tibi jure dedit sceptrū sine sanguine Sanguis,
Hoc tuus eternùm teneat sine sanguine sanguis.

O quanto nobis constarent sanguine sceptra,
Contulerat sanguis ni tuus illa tibi.

## ANGLIA ad SCOTIAM vt Regem dimittat.

O Floſcule Inſularum,
Peninſularum ocelle,
Soror tenella, bella,
O Scotia integella,
Tua te ſoror gemella
Soror Albion precatur,
Precibuſq; mille ſupplex
Suſpirijſq; mille,
Lachrymiſq; mille obortis,
Et omnibus querelis
Implorat, vrget, orat,
Ne diutiùs cupitum,
Gratum, deſideratum,
Et cœlitùs paratum,
Illi abſtrahas Iacobum:
  Ah dura, dura, dura,
  Dimitte, mitte, mitte.
Quid arctiore nexu?
Quid ſtrictiore dextrâ?
Genio attrahaciore,
Gremio tenaciore,
Venire geſtientem,
Redire comparantem,
Et vſq; & vſq; & vſq;,
Tu ſtringis implicaſq;?
  Ah dura, dura, dura,
  Dimitte, mitte, mitte:
Neſcis (iniqua) neſcis,
Harum cruces morarum,
Harum neces morarum.
Quid ſit carere neſcis
Tenerrimis ocellis,
Penitiſſimis medullis,
Suauiſſimis papillis;
Atat! carere neſcis

Et his & his & illis,
Sororculam misellam,
In vnico Iacobo?
Ah dura, dura, dura,
Dimitte, mitte, mitte!
Tu sæva, ferrea, omnes
Lubentias, & omnes
Placentias, & omnes
Faventias in vno
Mihi invides Iacobo!
Tu sæva, ferrea omnes,
Charitesq; Gratiasq;.
Musasq; Apollinesq;
Et quicquid est Amorum,
Et quicquid est leporum,
Tu sæva, ferrea vno
Mihi invides Iacobo.
Ah dura, dura, dura,
Dimitte, mitte, mitte.
Da Principem popello,
Da Curiæ patronum,
Patriæq; da Parentem,
Terræq; redde cœlum,
Cœloq; redde Solem,
Soliq; redde lumen:
Auræ serenitatem,
Annum sibi, sibi Ver,
Suum rosis honorem,
Et floribus nitorem,
Et gramini saporem,
Et hæc & omnia vno
Simul & semel Iacobo
Mihi redde, redde, redde.

*Ad Musas.*

VIrgilius redit, en Augustum quærite Musæ:
Augustus rediit, quærite Virgilium:

Mate-

Materies vatum est vatesq; Iacobus,& ipso
Carmina vel nemo digna,vel ipse canit.

*Ad Apollinem.*

Martial. Sint Mecænates,non deêrunt(Phœbe) Marones,
Nam Maro Brutigenis eccè Iacobus adest.
Non deerunt Mecænates,sint(Phœbe) Marones;
Mecænas Musis ecce Iacobus adest.
Alterutrum nemo,præstat Rex noster vtrumq;,
Mecænasq; fovet,Virgiliusq; facit.

*Ad Invictissimum Principem.*

Si,nisi quæ fuerint te principe digna Iacobe,
Carmina nulla leges, Carmina nulla leges.

*Carolus Fitzgeofridus Art. Mag. Lateport.*

*Apologus.*

NOmine mutato narratur fabula de te
(Anglia)nec sanè fabula,certa fides.
Culta diu, & vigili multum curata Colono,
Ipsius & manibus consita,Ficus erat.
Pomifer Autumnus fruges iam tulerat omnes,
Sed mediâ sterilis hæc stetit arbor aquâ:
Pro fructu folia,& pro ficubus en caprificus!
Luxuriat solis,cætera inepta, comis.
Illusus,validam dextrâ rapiente bipennem,
Cultor in excidium stipitis ire parat.
Et iam læthalem trunco dedit impiger ictum,
Plagaq; concussum foderat vna latus:
Icta tremit,tremulumq; quatit percussa cacumen,
Et graviter visa est verbere pulsa queri:
Et quasi pæniteat,frugem quasi spondeat olim,
Ingemit,implorans commiserantis opem.
Agricola abstinuit(quaq; est pietate)pepercit,
Iactaq; de manibus sæva securis abit:
Iraq; quod fecit vulnus,clementia sanat,
Iamq; premente manu fert manus altera opem.
Nec mora,quin rimæ,quam fecerat ictus,hianti
Ecce novus felix surculus inseritur.

Quàm

Quàm pia cura Dei? prodest crudelior ira;
  Crescit & à damnis Ficus opaca suis.
Vno quippe priùs, gemino nunc vertice surgit;
  Si non cæsa foret, non ita celsa foret.

*Rich. Morus Art. Mag. ex Aula Lateportens.*

*De Regni vtriusq; coalitione* Vtraq; vnum    Eph. 2. 14.

Laus tua *Christe Deus*, quòd in vnũ vtrunq; reduxti;
  Inq; vnum quòd tu, laus tua *Christe Dei.*
O imitatorem clarum decus; ôq; imitandum
  Clarius; hic populos nectit, & ille, duos,
*Vtraq;* dum facitis sic *vnum*, dignus vterq;
  Quemq; sequare deus, quiq; sequare deum;
*Vtraq;* sint *vnum* semper, sint omnia; Gensq;
  Et mens vna, vnus Christus, & vna fides.
Rex vnus, lex vna, vnus grex: cum venit, vnum,
  Vnus vt inveniat pastor ovile suum.

Septimus Henricus cedat tibi Prime Iacobe,
  Ille rosas, duo tu regna coire facis.
Sic sibi te iungat deus, æternamq; coronam
  Terrenæ, vt duo tu Regna coire facis.

Fœlices Castorq; cadens, Polluxq; resurgens,
  Quæq; obijt, sydus nobile, quiq; subit.

*Io. Kinge Sac. Theol. Doct. Archidiac. Notingh.*

Μῶσαι περίδες συναείσατε τὸν τ' Ἰάκωβον
  Τῶν σκώτων βασιλῆα μέγαν, κρατερῶν τε βρεταννῶν.
Τίς δ' Ἰάκωβος ἀνὴρ; βρεττάννῳ ὅσις ἄρισος.
Εὐγνώμων, φιλόμωσος, ἐρώτικος, εἰς ἄκρον ἀδύς.
Εἰδὼς τὸν φιλέοντα, τὸν ὐ φιλέοντ' ἐλεαίρων.    Imit. Theoc in laudem Prolom. Philadelph Eidyll. 14.
Πολλοῖς πολλὰ δίδοὺς, αἰτεύμενος ὐκ ἀναινέυων.
Οἷα χρὴ βασιλῆ' ὧ σκῆπτρον χρίσος ἔδωκε.
Αἰχμητὴς κρατερὸς, βασιλεὺς εἰδὼς δόρυ πάλλειν.
Τῶν σκώτων ὄζος, πολυχρύσυ Μαργαρήτης

Ὅς

Ὃς μαργαρίτης, τὴν πότνια γείνατ᾽ Ἐλίσσα
Ἡρείκου ἄλοχος ῥοδοδάκτυλος ἑβδομάτοιο
Βρεττάννων κολπῶν τ᾽ ἰέρνων τοῦ βασιλῆος.

Ἄφθιτε καρτερόθυμον ἀεὶ βασιλῆα σαώσοις,
Ἀπολ. μεταφ. ψαλμ. Εἰσαΐοις δ᾽ ὅτε δή σε λιταζόμενοι καλέσαιμεν.

Αἰὲν ἄναξ, ἄχραντε, τίω περὶ κάρτει χαίροι,
Καὶ σὸν γηθήσειεν ἀεὶ χρ̄ῦ θυμὸν ἀρωγῇ.

*Tho. Holandus Theol. Profess. Reg. In Acad. Oxon.*

## *Ad Regem.*

PHœbus vt astra suo quasi pascit lumine, Musas
Sic Iacobe tuo lumine solus alis.
Si quid & Oxonij fulserunt sydera, stellis
Si quod lumen inest, id tibi Phœbe damus.
Tu Sol inspiras radianti luce planetas,
Et doctas acuis, doctior ipse, Deas.
Ast ego sum visus nitidum (seu Phosphorus) agmen
Cogere, sydereas & cumulare faces,
Primus & vt cœlis it Phosphorus, vltimus exit,
Emittens nitidum vespere, manè, caput:
Sic ego te primus, te canto novissimus: astris
Pro te vota, preces, vespere, manè ferens.

## *De finibus Angliæ & Scotiæ interiectis.*

REx ad Hyperboreas dùm tendit sæpiùs vrbes,
Dum iuvat Angliacas ire, redire vias;
Dùm quò quærat opes, quò cōvehat advena merces,
Impiger extremos currere pergit agros;
Cernemus tenues excrescere tempore vicos,
Et via, quæ fuerat semita, grandis erit.
Sic olim quæ parva fuit, quæ vana taberna
Roma, caput mundi, culmen & orbis erat.

## *Ad Regem.*

TE venisse tuam novit Germanus in vrbem,
Clamores populi nam capit ille tui:

Fini-

Finibus Italicis, & Iberi gente superba,
Lætitiæ voces insonuere novæ;
Indus, & extremus Garamas, & tota per orbem
Terra, triumphales percipit aure sonos.
Dum pia te populi venerantur gaudia Regem,
Nec compos mentis nec memor ipse sui.
*Anglia nec Regem, nec sic dilexit Elisam;*
*Charius & vel te, si cupis ipse, nequit.*

*Ad Librum.*

NOminis ô quantum tibi parve Libelle paratur?
Gloria quanta? tui multus amator erit.
Te capient turres, & celsa palatia Regum,
Te proceres, populus te leget ore frequens:
Te fora, tecta, viæ, convivia, festa sonabunt.
Et tibi pars Orbis vltima lector erit.
*Oxonij gaudentis opus*, tu mitteris *vni*;
Omnibus at grata mente legere liber,

*Ad Librum.*

LVsisti satis, & nimium, ambitiose Libelle,
Principis audaci dum canis ore decus.
Sit pudor, & finis, poterit nil Fama Iacobo
Addere; par cœlo, maior & Orbe sonat.
Quòd tamen effigies animi sis viva, quòd extet
In nimis exili carmine, summus amor,
Tu mentis pictura piæ Liber ibis in orbem,
*Et vives*, Phydiæ cum morietur opus.

*Ad Zoilum & Momum.*

SI nec concha salis, nec nostram condit acetum
Musam, nec numeris guttula fellis inest,
Si nec compta satis, nec cerussata videntur
Carmina; num rides ingeniose librum?
Nostra nec ingenium iactant, nec carmina morbum:
Lactea noster amor fundere verba cupit.
Nos melimela damus, nos dulcia scribimus: istas
Tu tibi nequitias, tu tibi quære iocos.
Zoile, musa procax mordaci felle tumescat;
Dulcia sint, quæ dat carmina, dulcis amor.
Si sine dente placent epigrammata nulla, molesto

Zoile, nos carmen, non epigramma damus.
Si, nisi plena salis, sordent epigrammata, Mome:
Pro sale mel ferimus, mel salis instar erit:

*Ad Academicos.*

CLaudite iam rivos pueri, deponite gratum
Ingenij luctantis opus, sat prata biberunt:
Vosq; viri, iuvenesq;, quibus non contigit isto
Tempore, syncerum testari carmine amorem,
Contenti, rebus vosmet servate futuris.
En erit ille dies, memorari gesta Iacobi
Quo poterint graviore tubâ, cum sidera victor
Vertice sublimi feriet, cùm tempora laurus
Lambet, & auratis passim victoria pennis
Per Britonum volitabit agros; tum scribite docti,
Scribite, & Iliadas longas componite Regi:
En erit ille dies, quo pax, & filia pacis
Copia securæ pleno dabit omnia cornu.
Digna Sophoclæo tum fundite metra cothurno,
Civilesq; Duci dulcis det Musa coronas.
En erit & tempus quo stirps animosa Iacobi,
Quo nati, series & quæ nascetur ab illis,
Heroes animæ, cœlestia germina, proles
Enthea, Phœbeo celebrari carmine possint;
Hoc meditetur opus, pater est cui pulcher Apollo.
En erit & tempus, thalamos quo regia proles
Expetet, & tædas fœlices; pronuba Iuno
Et Lucina fave nuptis, quo surgat in orbe
Aurea progenies, quæ longos regnet in annos:
Tum cantando Linum superate, & versibus Orphea.
En erit & tempus, doctam quo doctus ad vrbem
Princeps ire velit, tanto dignatus honore
Oxonium; (lucus sacer est quo ludit Apollo)
Carmina tum dicenda, neget quis carmina Regi?
Phœbæis tum copia erit contendere metris.
Vt minor invideat Soror, & miretur amorem.
At si quis vestrum se nunc scripsisse queretur
Celatosq; suos versus ægrè ferat, illi
Dicimus, hunc nimium, seraq; coronide longum

Esse

Esse librum, poterant nec cuncta volumine parvo
Carmina comprendi, post hæc seges ampla canendi
Concedetur, erit vobis tum gloria vestra.

*Conclusio ad Regem.*

NOn dubitare licet, quin tota Britannia, dona
Attulerit non parva tibi, Rex Magne, superba
Exultansq; tuo, quem gestit cernere, vultu.
Nobilitas, Equitesq; quibus fortuna benignâ
Elargitur opes dextrâ, pretiosa tulerunt
Munera; Plebs censu pauper, pro munere vota
Fundit, & imperium, & vitam sine fine precatur.
Nos inhonoratum, donisq; scholaribus orbum
Rectorem patriæ soli dimittimus? absit.
Nos quoq; lacte suo, quos Alma Academia nutrit,
Regi (Rex nostræ pater est nutricius vrbi)
Officium cupimus præstare, animiq; benigni
Indicium deferre aliquod (quamvis leve) munus,
Nobis argentum, nobis non suppetit aurum,
Id quod habemus habe; pro magno munere, pauca
Carmina, at ingentem testantia carmina amorem,
Munera si spectes, omni superamur ab vrbe:
Sin mentem, donis superamus in omnibus omnes.
Cumq; nihil nobis præter nos suppetit, ecce
Nos ipsos (Rex Magne) damus, pro munere nostro.
Vir, puer, atq; senex inflexo poplite, corde
Supplice, sollicitat Dominum, vt te Maxime Princeps
Regalemq; tuam sobolem, fundamina nostri
Imperij æternùm tueatur, & addat ad annos
Vestros de nostris (faxit Deus optimus) annis.
Ipse (olim à precibus Reginæ servus Elisæ
Vixit enim illa Deo, sacrosq; elegit in vsus
Plures, de quorum numero me glorior vnum)
Pro te, proq; tuis, & corde & voce precabor:
Ad patres serus redeas, hic sceptra gubernes
Semper amans Anglos, & semper amatus ab Anglis.

*Io. Howsonus Sac. Theol. Doct. Ædis Christi prabendarius & Vicecancellarius Oxon.*

FINIS.



# VOTVM TYPOGRAPHI AD Sereniſſimum Regem.

*ATq; ita fatigatis quaſi penitùs typis,*
*Operam tibi dum præſtitere alacriùs*
*Chalchographicam ſuam, (Iacobe Maxime)*
*Poetico functi ſumus negotio.*
*Non quòd frequentior poëmatum cohors,*
*Numeroſiorve gratulantium deeſt:*
*Superat enim numerus ſatis laudabilis*
*Et horum & aliorum penes Academicos*
*Voluminum*, Re & Luce *dignus* publicâ:
*Sed auctiores mole non audent libros*
*Inopes typi nec Regij diplomatis*
*Ægide ſacrâ tecti, foras emittere:*
*Quâ transmarini Cæſares & Reguli,*
*Fœcundiores protegunt Calchographias.*
*Tuo interim ſuperbiens vel nomine,*
*Quo nunc beati ſunt typi primùm ſui,*
*Geſtit Typographus, neſcio quid ominans*
*Fauſti, & libris & prelo & ipſis formulis.*
*Et vt Iacobi publicent nomen diu*
*Optant libri, prelumq; & ipſæ formulæ.*



Page 24. The verses suppressed are as follows:

"Num querar, an potius supremi munera laudem,
    Qui nos, Jacobi subjicit imperio?
Nam si sceptra decus tribuat, vel regia virtus;
    Hic post Elizam, flosque decusque manet.
Nec tamen ut praeeat, mortali sorte petivit
    Illa, sed e cœlo; nam dea vera fuit:
Aut potius solum manet hoc discrimen in illis,
    Quòd datus est nobis, hic deus, illa dea.
Dematur tantùm sexus, sub imagine divi
    Hujus, erit reliquum nil, nisi diva prior."